Martini

coll. XVIII, 29255, 1 Bl. 763

(R A. 05) 553 Ziegl.

5/0

Plurimæ ſunt Vanitates. Eccles. 5. 6.




Nolite declinare poſt Vana. I Reg. 12. 21.



# MARTINI à S. BRUNONE
AUSTRIACI VIENNENSIS
E SCHOLIS PIIS:

# VERTUMNUS VANITATIS;

In XXIV. Metrorum Schemata
POESI MORALI
Trigeſies
*TRANSFORMATUS.*

EDITIO POSTERIOR;
PRIORE
*Ampliſſimè Auctior,*
Et inſuper
XXXII. Figuris æneis illuſtrata;
*Cum Gratia, & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſt. & Superiorum Permiſſu.*

---

Typis Auguſtanis per Joan. Jacob. Lotter.
Sumptibus Joan. Andreæ Pfeffel, Sac. Cæſ. Majeſt. Chalcogr. Aulici. M D CCXXV.


NOMEN VIRGINIS.
M
ΜΡ ΘΥ
Luc. I.V. 26.
Sub gratioſo Nomine
Matrisq; Virginisq;
Vertumnus æneîs Auctior
Recusus est Figuris.

# ADMODUM REVERENDO, IN CHRISTO,

*RELIGIOSISSIMO PATRI,*

# P. IGNATIO à S. JACOBO,

Clericor. Regul. Pauperum, Matris Dei,

SCHOLARUM PIARUM

Per Germaniam tertiùm

PRÆPOSITO PROVINCIALI,

PATRI OBSERVANDISSIMO.

LUdicrum ſub rudibus hiſce Pagellis, A. R. *Paternitati tuæ Vanitatis* exhiberi Argumentum; nolim, ſuſpicetur aliquis, accidere importunè. Quid enim è Ludo Literarum Elementarium, in quo, tanquam Germana in Corintho Dionyſius, ex obedientiali neceſſitate Triennium

enniùm deſudat, cujuscunque apud *Te* nominis Poëta, demum proferat congruentiùs, quàm leviuſculum imbecillitatis Poëticæ Ludum? Iſthôc enim, ùt balbutienti Ætatulæ ſemifractas veteranus Pædotriba prælallat ſyllabulas, unà inter amuſum Puerorum gregem, magè ſeriis nonnihil feriari juſſis, Muſam ſenio proximiorem cum annoſo Socrate tantiſper delectat Pueraſcere. Puppulorum perinde ſe genio accommodat ludibunda Poëſis. Nè tamen, ſub joculari verſuum transformatione, minùs piè luſitet, Hymnodiam puerilibus aſperſura facetiis, aut Metrô Feſcenninô: Vetuit *Tua*, P. A. R., morum, Virtutúmque inter *Tuos* non tantùm, imò & Exteros omni Æſtimatione digniſſima Religioſitas.

Graviſſimum proinde illud Sapientiſſimi Regis Elogium: *Vanitas Vanitatum*, quondam verſificâ traductione brevibus expoſitum Strophulis: Nunc, quòd innocentis otii ingenua foret materia, dimidiô amplioribus augmentare, atque hâc ratione adauctum Numeris, nec non ſolertis Operæ Iconibus illuſtratum, *Tibi*,

per-

perſpicaciſſimo meæ intentionis Arbitro, filiali ex affectu dedicare vel ideo ſtatui; ne aut obſervantiæ in Religioſiſſimum Patrem Injurius; aut, dum per Germaniam Religioſæ Scholarum Piarum *Provinciæ* iteratò *Præpoſitus* renunciareris, à filiali collatæ in eximia *Tua* merita Dignitatis cultu cenſear alienus.

Vix etenim prænunciô geminarum Exemplaris *Tuæ* Pietatis, & Zeloſæ Prudentiæ alarum remigiô antevolantis canore Famæ, *Te* nuper ex Urbe urbium, poſt inibi Sexenne *Generalitii Aſſiſtentatûs* fortiter exantlatum Munus, ad *Tuos* reducem fore: Et, quod votivè Nobis augurabamur, denuò Provinciæ Clavum dexterrimæ *Tuæ* fidei certò deſtinari, citra ambiguum cognôſſe licuit: mox placidâ obſequioſitatis violentiâ in id totus rapiebar; ut lucubrationem háncce, eô planè tempore Prælo ſubigi volentem, *Tuo* Nomini inſcriptam, in teſſeram gratulatoriæ venerationis, & devoti animi pignus eò promptiùs nuncuparem; quô avidiùs meum *Tui* filialiter colendi ſtudium pro viribus alacriter conteſtandum maturaveram.

At feſtinatum alioquin Opus Excuſoris, inducias identidem cauſantis, moroſitas interim ſufflaminavit: quò minùs *Tibi* tunc, è Romano itinere viarum ſalebroſis anfractibus fatigato, in Patriam poſtliminiò jamjam reverſuro celeriter occurſitans, de languidiùs, ac olim, ſtillante Poëſeos venula refrigerantium aſpergine guttularum, velut quòpiam purgatoriô rore, pulvereum ſqualorem deterſurus, tempeſtivior fierem Præſentiæ *Tuæ* Salutator. Fraudatus taliter opportunitate id præſtandi, quod enixè peroptaveram, Tempori nunc ſervio; Et, vertente jam feliciter *Annô*, rem aggreſſurus meâ opinione haud averſabilem, *Vanitatis Odarium*, *anteiquâ Lyrâ* recantatum, ſub Variantis *Vertumni* Schemate Iconibus illuſtrati, devotiſſimâ Paternitati *Tuæ* Nuncupatione, in *Strenam* præſento.

Sed cur, inquiet nonnemo, Vanitatis nugamenta veterani ſint Poëtæ fatigia? Et non potiùs de dignioris objecti argutiis feſtiviùs agitata Materia? Noverit, qui ejuſmodi cum percontatione obviat, Mundum id Ætatis agere, quô & viſu ridicula

la nimis, & auditu incerta minùs quotidianæ viciſſitudinis afferit exempla, inolitæ malitiæ Antiquarius. Vanitas, mendaciorum Patris primogenita, ſed ambitioſiſſima proles, prout in Hominum paſſim conſortia deſpoticum exercet imperium: ità inſtabilitatis, ſive honorum, ſive opum; ſive formæ, ſive potentiæ nullibi non oſtentat luculenta veſtigia. In Aula & foro: in Curia, & Athenæo: in Cænaculo & Palæſtra ſolicitè palliat, quod eſt: ut, quod non eſt, exquiſitô ſimulandi artificiô arroganter jactet. Clientibus, quorum è Syllabo *Adoleſcentes*, ſpondet fidem, quam fædifragè violat; jurat Verum, quod effronter negat; ſubſcribit Pacto, & reſcindit chirographum. Teſtes ſi vellem; offerret *Nova* Roma Eutropios; *Vetus* Beliſarios: mille Alios pleræque Regum Aulæ, tanquam Theatra Vanitatis, Munificam credunt; tenax eſt: veracem; mendax eſt: ſynceram; fallax eſt.

Certè vel ex hoc duntaxat capite tibiis, & lituis; Proſâ & Verſâ trivialiter diffamanda; nè fallat Incautos: Riſu & lacrymis, ſarcaſmô & ſannis alternatim exibi-

landa; nè clandeſtinis pollicitationibus ſub ampullari Conſtantiæ prætextu circumveniat incurios fallaciarum Taxatores. Verſipellis Fortunæ Diſpenſatrix poſt aureos montes ventoſæ magnificentiæ obtrudit umbratile quidem Prænomen; ſed, amabò, flos gloriæ quid eſt? fœnum: pulchritudinis? Bulla: Splendoris? Fumus: Pompæ Sæculi? Vapor ad modicum parens.

Hanc nugivendulam Nundinatricem, *centum* aliàs jaculis confixam, ludibriorum inſectari ſtrepitu, &, ſi volet Apollo, Democriticis exponere cachinnis, noſter, ſeriæ alioquin lenitatis, laborat *Vertumnus*. Inveteratos momentaneæ felicitatis illiciis, quâ difficulter mobiles, ſi, everſis utcunque verſutiæ machinis, ad reſipiſcentiam minimè queat revocare: Saltem *Adoleſcentibus*, non Mundi typhô, ſed ſanæ Pietatis ſpiritu vel obiter imbutis, quatenus detectâ fraudium larvâ, oblitas opere pigmentariô ſtrias in Deceptricis vultu diſtinctè perſpiciant, genuinæ Vanitatis diſcooperit Imaginem toties, quoties ſub ludicra Verſuum, Iconúmque *Varietate* Iiſdem Salutarium Meditationum ſuggerit Materiam; vel è præ-

fixo

fixo lemmate, vel interjecto Symbolo ruminatrici memoriæ familiarem. Nulla quippe totius Hymnodiæ ſtrophula, nî fallor, ſub oculum cadit Legenti, quæ non in Mundo, Vanitatis ſcilicet Emporio, carò quidem, & cum Nominis, morumque nonnunquam diſcrimine proſtantes, ſummè tamen deceptorias retegat Strophas; Et, quod ſui eſt unicè Inſtituti, præſentíſque Ludi ſcopus, cordatè doceat illecebroſa inſidiarum molimina ſi non fugere omnino, adminùs ſolerter præcavere.

Atque hoc eſt inſuper alterum Motivum Paternitatis *Tuæ* ſub patrocinio evulgari *Vertumnum*, veluti tutandæ Juventutis Protoypon, aut certè virtutum *Tuarum* Encomiaſten. Nihil enim *Tibi* unquam fuit antiquiùs (ſed *Coætanei* non ſolummodo, imò &, ſi licet hanc applicare phraſin, Religionis *Collactanei*, nemo facilè improbabit teſtimonium) nihil, inquam, *Tibi* fuit antiquiùs, quàm pro ſancto Inſtituti Zelo impenſiſſimè curare in Adoleſcentibus moderationi quoquômodô ſubordinatis, tum literarum, tum morum politiorum emolumenta: Nè, illectrice Vanitate, effræni-

um more hinnulorum recalcitrantes, & in transverſum abrepti, â deſignata Pietatis exerrent orbita, Monitoribus aſperi, obnoxii præcipitiis vitæ licentioris.

Aſſertum hoc iteratis exemplis jam ab octo ampliùs Luſtris, cùm primùm Vanitatis Calcator in pios ſacræ militiæ juráſti Canones Neoptolemus, luculenter comprobâſti: A quo tempore, usque in Præſens, nunquam defuiſti Virtuti, nec Virtus *Tibi*: nec Præmium Utrique. Vix enim Religionis Ephebiam egreſſus gregariis Miniſteriis applicabaris; mox dederas *tuôpte* geniô ad præclara quævis maturô documenta Induſtriæ pro adminiſtrando: Dexteritatis pro exequendo: gravitatis pro conſultando: prudentiæ pro diſcernendo: Maturitatis pro gubernando; quibus gradatim ad ſolida Inſtituti noſtri munia talem *Te* feliciſſimô ſucceſſu comparatum *Tua* vidit Provincia, qualem hodiedum Filii *Tui* per Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, Boëmiam, nec non Marchionatum Badenſem, & Tranſylvaniam latè diſperſi ſuſpiciunt, ac venerantur.

*Tua* Rerum Inſtituti ſolerter tractandarum

darum Aptitudo antevertit annos, meritum ætatem: ut necdum, ſi ad calculum vocemus annos, Honorum (Onerum dices) ferendis faſcibus maturus; jam Majorum judiciô dignus cenſebâre. Unde primò Gymnaſiorum, ſubinde trium ſucceſſivè Collegiorum Rector, tam Scholaſticæ, quàm Regularis Diſciplinæ, necnon rei œconomicæ aſſertor accuratiſſimus placuiſti ſingulis; atque iis vel maximè, qui è feliciter adornata *Tuæ* provinciæ ſparta Virtutem *Tuam* altioribus evehendam gradibus non vani Augures præſagiebant. Nec votum, nec Augurium fefellit; Siquidem tribus jam antè Luſtris *Te* Germanæ Provinciæ Moderatorem *Roma* nominavit. Inde celebranda inibi Religionis Comitia, hoc cum ſpectabili charactere *primò*: *Secundò*, Patribus generaliter per votorûm ſuffragia rurſum congregandis aſſeſſurus, electus, ùt dicimus, *Vocalis*, frequentans, habilis inventus es, qui ad *P. Generalis Noſtri* ſexennalem *Quatuor - Viratûs Aſſiſtentiam* Romæ attinereris; donec è noviſſimè terminata Congregatione Generali fauſtiſſimè redux, *Germanæ* Scholarum Piarum *Provinciæ* gu-

 bernio

bernio *Tertiùm* admotús ſalutarêre *Præpoſitus* : Nimirum ut in *Te* ſemper, & ubique haberent *Adoleſcentes* ſuæ culturæ Curatorem : quemadmodum *Vanitas* ſui exitii Promotorem : Eoquod ex repetiti Officii adminiſtratione ſis nactus copiam, iisdem ſtabiliendæ virtutis, artium, morúmque idoneos Inſtitutores providendi.

At metuo nihilominus ; nè Calamus porrò ejusmodi decora proſequendo *Tuam* modeſtiam rubore ſuffundat ; néve ſuſpicetur quispiam , eadem me retexere cum affectationis palpo , quæ filialis dictavit affectus, ſyncerus animi mei interpres ; licèt nihil proferat , quàm id , quod ipſa Res palàm eloquitur. Fidem nimirum adſtruere præprimis conabar , *Vanitatis Odarium*, quà materiam piam , ſacræque ſimillimam in Juventutis maximè cautelam concinnatam , Nulli convenientiùs , quàm *Tibi*, Patri pientiſſimo , debuiſſe inſcribi : Nè fruſtra foris , indagando Defenſorem, circumerrem , quem intra domeſticos quodammodo parietes facilè ſim reperturus. Præſertim cogitatus meos tali pulſante Dubiô ; Utrum , niſi *Tuæ Vertumnus* tutelæ committe-

mitteretur, adeò amicabilem offenderet Protectorem; qualem *Tua* mihi pollicetur Humanitas.

Vanitatis quippe *Programma* titulare poſſet Eum apud quoſpiam ſequioris oculi reddere ſuſpectum, quaſi ad vani leniter arguendos ſæculi mores inductus vicem agat Autoris, magìs carpendi, ſugillandíque propoſitô, clam, velut ex inſidiis, fortunæ munera calumniantis: idque, quòd recti animi conſiliô tempeſtivus enunciat Verſiculus, exciperetur ſiniſtrè, tanquam Cavillatio Satyrica; Cujus equidem metûs periculô *Tua* me, P. A. R., inter utrumque diſcernendi perſpicacitas jam dudum abſolverat.

Dabis proinde excipiendis de Vanitate canoribus facilem Auditum; licèt plebejæ citharæ ſonus vix auribus illapſus, ſubitò expiret in aura. Acclinabis benevolum Odoratum ad agreſtem vulgaris ſuffimenti fumum & vapores inpræſentiarùm: dum aliunde Cilicum & Arabum thymiamata, *Diis & Filiis Excelſi* litanda, *Tibi* offunduntur. Porriges propitiam dexteram, admiſſurus poſtliminiò Muſam, nunc *Rheni* accolam, aliquando Domeſticis *Tuis* aſſerendam.

Pan.

Pandes Paternum ſinum à longè adventanti *Vertumno*, eúmque hactenus peregrinum, hôc *Annô Jubileo*, quô, è ſacro Vaticinio, *Unusquisque rediet ad Familiam ſuam priſtinam*, inter Familiares eò benigniùs computabis; quò confidentiùs pro *Strena Januaria* in xenii pignus ſeipſum, quantus quantus eſt, *Tibi* devotiſſimè conſecrat: ac, mei locò, cum filiali Voto felicium *Novi Anni* Auſpiciorum, & proſperrimæ longævitatis, in decus Provinciæ & *Marianæ* Religionis noſtræ emolumentum promovendæ, poſt tranſigendum incolumiter, Deô Auſpice, Sacerdotii Jubileum, plurimarúmque deinceps olympiadum intervalla, interminabilem fortunatiſſimæ æternitatis *Jubileum* reverentiſſimè advovet, ac animitùs precatur, planè ex mea ſententia; qui ſum ſub Dato Raſtadii Marchionatûs Badenſis, Kalend. Januarias 1725.

A. R. Tuæ Paternitatis

*Filius in Chriſto humillimus*

M. à S. B. S. P.

FACUL-

# FACULTAS
A. R. P. Generalis noſtri,
## ADOLPH. à S. GEORGIO,
Clericor. Regul. Pauperum, Matris DEI, Scholarum Piarum
## PRÆPOSITUS GENERALIS.

Cùm Librum, cui Titulus: *Vertumnus Vanitatis* &c. à P. Martino à S. Brunone Religionis noſtræ Sacerdote compoſitum, duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint: ut Typis mandetur; Si iis, ad quos ſpectat, videbitur, facultatem in Domino concedimus. Datum Romæ in ædibus noſtris Scholarum Piarum ad S. Pantaleonem, die 20. Maji 1724.

(L.S.) Adolphus à S. Georgio,
Præpoſ. Generalis.

Antonius à S. Michaële,
Secretarius.

LICEN-

# LICENTIA

R. P. Vice - Provincialis in Capite.

INNOCENTIUS à S. CLEMENTE,
Clericor. Reg. Pauperum, Matris DEI,
SCHOLARUM PIARUM
Per Germaniam
*Præpoſitus Vice - Provincialis.*

Cùm Opus Poëticum, cui Titulus: Vertumnus Vanitatis, antehac jam per P. Martinum à S. Brunone Religionis noſtræ Sacerdotem, cum facultate Superiorum, ex parte editum: nunc verò iteratò in perplura metrorum Schemata auctiùs traductum æneíſque figuris illuſtrandum veniat: idque denuo à duobus noſtris Sacerdotibus reviſum, teſtantibus: nihil in eo diſſentaneum à ſana doctrina, bonìſque Moribus; imò eruditione Poëtâ Religiosô digna refertum; Tenore præſentium, poteſtate factâ ab A. R. P. Adolpho à S. Georgio, Præpoſito Generali Noſtro, licentiam in Domino concedo; ut ità auctum, & illuſtratum, ſervatis ſervandis, in lucem prodeat. In quorum fidem his conſuetô Provinciæ ſigillô munitis ſubſcripſi Nicolſpurgi Moravorum. 8. Junii, 1724.

(L.S.) Innocentius à S. Clemente,
Vice - Provincialis.

Bonifacius à S. Antonio,
Secretarius.

CES-

# CESSIO PRIVILEGII CÆSAREI.

*EGo Innocentius à S. Clemente, Scholarum Piarum per Germaniam Præpoſitus Vice-Provincialis in Capite, Typis permitto evulgari Opuſculum Metricum (cui Titulus: Vertumnus Vanitatis, figuris æneis illuſtratus) Studiô Martini à S. Brunone, Relig. noſtræ Sacerdotis profeſſi, p. t. Superioris Raſtadienſis, compoſitum, Domino Joanni Andreæ Pfeffel, S. C. M. Aulico Chalcographo, Auguſtano: Eique Jus Privilegii Cæſarei cedo, & communico; Ut eô, vel Autore invitô, dictum Opuſculum nemo recudere: nec intra S. R. J. fines, & Hæreditarias S. C. M. Provincias importare, aut ſub Pœna confiſcationis, & multa pecuniaria ibidem expreſſa, venum exponere audeat: Idque ad futurum Sexennium. In Robur, & fidem Provinciæ Sigillum appreſſi & ſubſcripſi die 8. Junii 1724.*

(L.S.) Innocentius à S. Clemente,
per Germaniam Præpoſitus
Vice - Provincialis.

APPRO-

# APPROBATIO
## *REVERENDISSIMI*
## D. CENSORIS.

Cùm Opus Poëticum, cujus Inſcriptio: *Vertumnus Vanitatis* &c. jam antehac approbatus, & editus fuerit, conceditur: ut etiam Auctior, & figuris illuſtratus Typô denuo vulgari poſſit. Auguſtæ Vindel. 6. Septembr. 1724.

Franciſcus Joſeph. de Handl,
SS. Theol. Licent. Reverendiſſ. & Sereniſſ. Principis, Epiſc. Auguſtani, Conſil. Eccleſ. Major Pœnitentiarius, & Librorum Cenſor.

VIDI

VIDI IN OMNIBUS VANITATEM.

Eccleſ. 1. v. 3.

UNIVERSA VANITAS OMNIS HOMO VIVENS.

Pſalm. 38. v. 6.

AMBULAVERUNT POST VANITATEM.

Jerem. 2. v. 5.

# STUDIOSÆ ADOLESCENTIÆ,

Scribo Vobis Adoleſcentibus:
Nolite diligere Mundum. 1. Joan. 2. v. 13. & 15.

# EPISTOLA.

QUod legis (opto, legas) folium, Studioſa *Juventus*,
Scripta paciſcendæ Verba ſalutis habet.
Limine quid potius valeat, quàm ferre *Salutem*?
Quâ cum *Collegis*, oro, fruâre tuis.
Curo, ſalutiterô ſit Epiſtola prædita ſenſu:
Hôc ùt erit, fuerit pagina grata, reor.
Autumo, quà talem, minùs averſabere; quamvis
More Dehortantis, ſit perarata Stilô.
Errori miſereſco tuo; ſi cauſa deeſſet,
Penna foret monitis non grăvis ulla meis.
Materiem præbes; quia diligis, Avia, *Mundum*:
Cujus ab amplexu te revocâſſe, libet.
Heu! Quid ames, neſcis. Veri mendacia fucô
Illita: Synceri ſub ratione dolos:
Sub veracis amat candoris imagine fraudes;
Mundi Impoſtoris *Ludicra* quisquis amat.
Grata quidem ſpondet; ſed ab amplis ſponſio donis
Diſcrepat, & ſupplent non niſi damna vices.
Voce jocans ſimulat jucundæ ſæcula vitæ:
Temporis extremi momina luctus habet.
Urget ùt *Alcinoi* nutu genialis in hortos,
Blanditiæ fallax lævigat arte viam.
Flore ſatum notat in *Pæſtana* roſaria callem;
Aſt horret mediis indita ſpina roſis.

In-

# *An die Schul Jugend,*

## Ich ſchreib Euch, Jünglingen:

Habt die Welt nit lieb. 1. Joan. 2. v. 13. & 15.

## Ein Send-Brieff.

DIſs Blætlein, ſo du liſst (wirſt's ja, ô *Jüngling*, leſen?)
Enthaltet, nach Beding, geſchribnes Wœrter-Heil;
Samm wünſchet' es zum *Gruß* dir Eingangs Heil-geneſen;
Woran auch deine *Zunfft* ſoll nehmen gleichen Theil.
Die Schrifft, im Wort begriff, muſt' ich, ſey heilſam, trachten,
Als wær' es dieſer Art, vor andern, lieb und werth:
Dergleichen, trau ich, ſolſt, mein *Jüngling*, nit verachten;
Obſchon ſie unter die Abmahnungs-Brieff gehert.
Dein Fehler ſchmertzet mich. Falls ich nit Urſach funde,
Dir mein Ermahnungs-Kiel nicht kæm' empfindlich für;
So wilſt' es, als verliebt in dieſes *Erden-Runde;*
Zertrennet nun der Bund ſey zwiſchen Welt und Dir.
Ach! wuſteſt, was du liebſt! Nur wahr-geſchmünkte Lügen,
An ſtatt Aufrichtigkeit die arge Welt-Luſt übt;
Der liebet, unterm Schein der Redlichkeit, Betrügen,
Wer falſchgeſinnter *Welt* verlarftes Weſen liebt.
Sie zeiget allerhand Geſchænck'; jedoch das Geben
Stimmt mit dem Wort nit ein; wer traut, den Schaden büſst;
Verkündet Schertzweis zwar ein Hundert-Jæhrigs Leben,
Deſs lezter Augenblick ſich doch mit Jammer ſchlieſst.
Wann ſie dir læchlend winckt ins Garten-Luſt-Gebäude,
Aus arger Heuchel-Kunſt iſt Steg und Bahn bedeckt;
Von Ros-und Nelken Saat beſtreut die Wege-Scheide;
Doch mancher Stachel-Dorn mit untern Roſen ſteckt.

Spricht

Inquiet: Huc, age ſis! Juvenum lectiſſime, noſtri
Antra novô nemoris conſita flore ſubi.
Hìc *Charites* ludunt: choreas ibi *Gaudia* ducunt:
En! fovet hìc *Majum Chloris* amica; Veni!
Tu tamen ad Cyathos, Epuláſque reſiſte Vocanti;
(Fortè *Ceres* præſens, & quoque *Bacchus* erit:
Illos coge, tuas, queîs prurit orexis, ad Umbras;
Non ſunt ad genium, dic, tua feſta meum.
Odi, Munde, *Cyprum* (laus eſt odiſſe) profanam;
Et *Zephyri* tremulum flamine nolo nemus:
Nec Volucrûm Cantus, actóſque in ſerta corymbos;
Et quidquid Medici ſpirat odoris *Arabs*.
Si replicet: Cur tuta times? Quid honeſta recuſas
Otia? Deliciis digne, Popelle, meis?
Digne coronari, pratis ſuccede; priusquam
Marceſcant; *Paphiis*, *Idaliiſque* Roſis.
Non hìc ſolus ages: non deſtituêre Sodali;
Pubertate comes par tibi multus erit.
*Bellerophon*, *Cypariſſus*, *Hylas*, *Hyacinthus*, *Adonis*;
Troicus & Phrygio cum *Ganymede Paris*:
*Acis* & *Endymion*, *Narciſſus*, *Amaracus* adſunt;
De Juvenum roſea portio bella tribu.
Hi genio indulgent, dum vernat amabilis ætas;
Utere lætitiæ tempore, flore, locô.
Expectat te *Fama*, *Venus*, *Fortuna*, *Voluptas*?
Nominis & magni Conciliator, *Honor*.
Ut famuli, obſequiis te ſunt mulcere parati;
Quantum eſt, illecebris participâſſe! Veni!

Dulcê

Spricht ſie : Du junges Blut, wolan; kom̃ ohne Scheuen,
Komm in mein Sommer-Haus begrünter Wiſen- Au :
*Huldinnen* ſchertzen hier, Luſt *Freude* führt am Reyhen,
Dem *May* liebæuglet hier die zarte *Blumen-Frau.*
Du weigre dich zu ſtehn beym *Wein* und fetten *Bratten,*
Unfehlbar aufgeſetzt wird Trank-und Speis-Gericht:
Die mehr gelüſtet, ruff' in deinen Garten-Schatten,
Für mich(ſprich' ungeſcheut)dein Feſttag tauget nicht.
Von Kindes-Alter an, haſs' ich die *Venus* - Tæntze ,
Von *Weſten-Windes* Brut acht' ich noch Blum, noch Straus :
Noch Vœgel-Lieder,noch breitlaubig' Ephew-Kræntze,
Noch , was *Sabæen* vom Heil - Rauchwerk hauchet aus.
Nit fœrchte Sicherheit (wann ſie dir mit liebkoſen
Fort ſchmeichlen wolt' , und ſagt ) zulæſsig iſt die Freud ;
Komm' , um gekrœnt zu ſeyn , eh welcken Tulp und Roſen ;
Dann du ja würdig biſt all zarter Wolluſt-Weyd' ;
Am Freuden-Ort dich hier nit ſolſt alleine wiſſen.
Viel, dir am Alter gleich, erkieſten dieſe Stell ;
*Hylas* , *Bellerophon* , *Adon* *mit* *Cypariſſen* ,
Der Knab aus *Phrygien* , auch *Paris* , iſt Geſell.
*Acis* , *Amaracus* , ſich dieſes Orts bedienet,
*Narciß* , und *Hyacinth* , der Jugend edler Theil,
Ihr Müthlein kühlen hier, als lang ihr Alter grünet;
Auch du, weils Zeit iſt, zu Ergœtzlichkeiten eyl';
Auf dich paſst *Lieb* und *Lob*, und *Glük* im *Wolluſt*-Garten,
Samt deines Nahmens zwey Grosmachern, *Ruhm* und *Ehr* ;
Die alle wollen gern dir auf den Dienſte warten ;
O! Was iſt ſolches Wohl genieſſen! Ey! komm' her!

Dulce ſonat Carmen; Tu, ſi tibi cura Salutis,
Neglige compreſsâ fortiter aure melos.
Utque Incantantis modulos exibilat *Anguis*,
Sic Mundi cautâ tu metra ſperne fugâ.
Sed, ſpernis: (Subodoror enim) quin dicis apertè:
Ceſſa, me nugis fallere, *Munde*, tuis.
Hactenus ære doli malè mercabaris amorem;
Dicere non poteris, me fore porrò tuum.
Elaqueor fraudum pedicis, hucusque malarum
Illiciis, tanquam compede vinctus, opum.
Attinuit me *Spes*, ſed inanis, & ægra Voluptæ:
Liber abhinc, *Virtus* quô vocat, apto gradum.
Perge! Deûm Soboles, *Adoleſcens*, quisquis ab iſto
Qui ſibi te prædam deſtinat, hoſte fugis.
Mentis id eximiæ eſt, technas prænôſſe vafrarum
Artium, & aſtutè ludificâſſe dolos.
Hoc tibi præſagô, felice ſub omine, verſu,
Mitis ùt es genii, vaticinatus eram.
Inſtar Avis, dixi, præclaræ hæc indolis ætas
A Mundi non eſt Aucupe digna capi.
Scilicet heroô Monitoria prævolat auſu;
Vix, *fuge*, ſuggeſſi carmine, *Vana*; fugit.
Ringere jam, rabiéque furens rumpe ilia, *Munde*;
Erepta eſt laqueis ſoſpes *Alauda* tuis.
Monſtrorum, Scelerúmque Parens, quid imaginis offe
Sive in Sortilega, Cyprigenáve Dea?
Utraque luce caret; Cæca eſt *Fortuna*, quod ipſum
Plebs dolet: eſtque oculis non minùs orba *Venu*
Inflat *Honor* buccas, protendit *Gloria* ſtrumam:
Et cerebrô *Faſtus*, fronte *Volupta* caret.

C

DisLiedlein klinget fein; doch wer ſein Selbſt-Heil liebet,
Beyd' Ohren mit Gewalt verſtoppt; ja wie ein *Schlang'*
Auf erſten Zauber-Pfiff ſich nit gefangen giebet;
So meyd', und fliehe du das ſchlaue Welt - Geſang.
Du folgeſt meinem Rath: Ja ſageſt unverholen:
Ich will durch Poſſen - Spiel nit mehr geæffet ſeyn;
Haſt meine Neigung eh, krafft Lugen-Müntz, geſtohlen,
Von jeztan ſoltu nit mehr ſagen: daſs ich dein.
Der Argliſt-Feſslen leb' ich jezt bereits entbunden,
Mit denen ich zuvor gefangen thæte Buſs:
Viel *hofft'* ich, aber hab nur eytel Nichts gefunden:
Nun auf dem *Tugend-Pfad* fortſetz' ich meinen Fuſs.
So recht! Ein Himmels-Kind iſt billig der zu nennen,
Der ſeinem Feind' entflieht, als abgeriſsner Raub:
Ein hoher Geiſt iſt ja, nebſt Unfalls - Vorerkennen,
Zu allem Argliſt-Griff und Heuchel-Sprüchen taub.
Ich hatt' es dir eh', auf erwünſchtes Looſe - Zeichen,
In zweyer Reimen Band weiſſagend kund gethan:
Dis Jugend-Alter ſoll die Welt-Liſt nit erſchleichen;
Sie ſtellt eim Jüngling nach, trifft einen Helden an.
Dann Er wollt' Helden-kühn zum Vorlauff ſich befleiſſen;
Kaum ſprach' ich: *Eytles flieh'!* entflieht ers in der That;
Nun, *Welt;* dich magſt vor Zorn in tauſend Stük zerreiſſen:
Das *Lerchlein* aus dem Garn ſich los gehaſpelt hat.
Du Miſsgeburten-Amm', und Mutter aller Sünden;
Was wiltu mit der Glük-und Liebs-Vormünderin?
Ein jede quælt der Staar: Glük ſchielt, gleich einer *Blinden*;
*Halb - Äugig* tappt die Frau *Höll - Fahnen - Führerin.*
*Ruhmſucht* Halskrœpfig iſt, *Ehr* hat geſchwollne Wangen,
Dem *Hochmuth* fehlts im Hirn, Stirnlos iſt *Uppigkeit;*

Calvitiô *Luxus*, veſana *Licentia* morum
Gibbô nota, brevi clauda *Libido* pede eſt.
Centenas *Famæ* numerô compleĉtimur aures;
Econtra ſurdis nulla *Deabus* adeſt.
His, aliisque tumet Mundi *Reſpublica* monſtris;
His viget Imperii Carnificina ſui.
Et tamen umbroſos audet jactare receſſus,
Fauſtáque deliciis, neſcio, luſtra, quibus?
Jure bonô hæc *Tempe*, teterrima tesqua ferarum,
*Augiæ* ſtabulis horridiora, voces.
Vis, Referam? Rugit *Ira*, Leo; *Dolor* ingemit Urſus:
*Spes* gannit Vulpes: mugit, ùt Urus, *Amor.*
Ridet Hyæna *Jocus*; tum *Deſperatio* latrat:
At *Deſiderium*, ſicut Aſelia, rudit.
Antevolat rabidas præceps *Audacia* Tigres:
Fit *Metus* ore Lupus; fit *Fuga* calce Lepus.
Dente minax *Odium* ſimulat, caudâque Draconem;
Quis Labor, indomitas has cicurare *feras*?
Sit ſatìs, enumerâſſe. Animô niſi captus, *amorem*
*Noli jam Mundo congeminare tuum.*
Sed moneo, averſis, *Adoleſcens* optime, ocellis
Intueâre, magìs temne Latronis opes.
Exime te, tua res agitur, centuplice damnô;
Qui cavet in laqueis vincula, ſerò cavet.
Nunc, quam principiô tulerat Pagella *Salutem*,
Utere fauſtè; Et habe, quod tibi ſcribo, *Vale.*

AU-

Der kahle *Frechheits-Gœtz* darff mit eim Hogger prangen;
Krumfüſsig hinkt die *Luſt*, bald recht bald linker Seit.
Die Gmeine *Rede* ſtrotzt von mehr, als hundert Ohren,
Ohnöhrig aber ſeyn die *Parcen* alle Drey:
Solch' Abentheure ſeyn zu Dienſt der Welt gebohren;
Mit dieſen herrſchet ſie im Reich der Gleiſsnerey.
Und prahlet dañoch mit Nacht-finſtern Winkel-Schattẽ,
Als wær' im Wald-gebüſch', ich weis nit was für Luſt:
Gleich wilder Thiere Hölln ſeyn dero Blumen-Matten;
Offt mehr entſetzlich, als *Augiens* Pferd-ſtall-Wuſt.
Es brüllet *Zorn*, als Lœw: *Schmertz* brummet, gleich eim Bæren,
Fuchs, *Hoffnung*, beſitzt, und *Lieb* ræhrt, obs ein Wald-Ochs ſey;
*Verzweifflung* bellt, der *Schertz*, Hyæn, læſt lachen hœren;
*Begierd* aus vollem Hals würgt lauter Eſels-Gſchrey.
*Vermeſſenheit* Blut ſchaumt mit grimmen Tygers-Rachen:
*Forcht* heulet, wie ein Wolff, *Flucht* laufft eim Haaſen für,
Der biſsig' *Haß* kirrt Rach, wie Zæhn-vergiffte Drachen,
Was koſtet es für Müh, zu zæhmen ſolche Thier?
Gnug mit der *Eylfften* Zahl. Vernunfft dich laſſe leiten,
*Die Welt nit liebe mehr* mit gleicher Gegen-Lieb:
Dein Auge von ihr wend', ô *Jüngling*, auf die Seiten;
Der Seelen-Mœrderin gar keinen Glauben gieb.
Flieh', es iſt deine Sach, vor Hundertfachem Schaden:
Ein Dieb, eh man ihn henkt, vorm Strik, ſich hüten mus.
Mein Kiel hat Anfangs dir gewunſchen *Heiles*-Gnaden:
*Gehab dich* immer *wohl!* ſey meines Brieffes Schluſs.

# AUTOR.

S*Pectator*, num *Lector* ades, vel uterque? Libelli
Qui luſtralis amas *Arbiter* eſſe mei?
Creverit augmentô quamvis, numerôque metrorum;
Mole brevis, refugit Nomen habere Libri.
Nec piget, incultum tibi maturâſſe Libellum;
Sæpe ſub hirſuto tegmine gemma latet:
Et rudis egregiam velat quandoque tabellam
Faſcia, ùt eximios hiſpida theca typos.
Quod ſpectes, *Spectator*, habes; pervolve libelli
Lemmata; quodque legas, Candide *Lector*, habes.
Nam ſeu ſpectando, ſeu delectêre legendo;
Hìc deſiderio fiet utrique ſatìs.
Iconas ut placidè ſpectes, *Chalcographus* offert;
Utque legas: Varii metra, *Poëta*, Stili.
*Illas* Artificis graphium, lætabile viſu,
Exactæ perhibet crebrius artis opus.
*Hæc* aliàs facilis protruſit Avena Camœnæ,
Apta quìdem teretes centuriare modos.
Hinc legere, hinc ſpectare, licet; ſed utrinque notabis,
Nil niſi Vanicrepæ *Symbola* ſculptæ *Deæ*.
Intuita haud unô ſimul inſpicienda; ſed unum
Poſt aliud, Numero diſſimilare ſuo.
Ordine ſiſtuntur, placet agminis ordo; ſeorſim
Tam ſua Spectator, quàm ſua Lector habet.
Quæque probaturis, nec enim reprobabilis ulla eſt,
Perluſtranda oculis ſe dat *Imago* Tuis.
Inde canit *Tricies* variatô Schemate, Metri
Ludicra ſorte, Phraſi Seria Muſa Strophas.
Nè tamen Effigiem confundat Carmen, & iſtud
Rurſus ab Effigie præpediatur; Age!

CEN-

# CENSORI.

FInge animô ; quin ante oculos tibi pone *Theatrum* :
Seu formæ veteris mobile, ſive Novæ.
Pegma bipartitis hinc inde illuſtre columnis;
Quô peragat lepidos *Comica* Muſa choros.
Hiſtrio materiem ludis Scenalibus aptam
Promat, & *Euterpe*, ſive *Thalia* gemat.
*Vertumnus* Tragici titulum determinet Actûs;
A Titulo Scenæ noſcere Schema licet.
Sed poterit Series *Tragico-Comœdia* dici:
Sunt etenim lætis triſtia miſta jocis.
Illius ad normam, levis *Inconſtantia Mundi*
Perſonam variæ calliditatis agit.
Indolis affectum ſi nôſſe cupiſcis? Omiſit
Vertumnus nullas, conſule metra, notas.
Qualis is eſt? Genium, moréſque *Synonyma* produnt:
*Inconſtans*, *Varius*, *Subdolus*, adde, *Vafer*.
Nominibus totidem celeber prodire cothurnô
Mundus avet; cujus ludicra Scena refert.
Tota rei Series (Vanæ ludibria ſortis,
Et, quibus occæcat corda Volupta, doli.)
Tota rei ſeries in *Tres* diſponitur. *Actus*;
Continet & ſcenæ dogmata quisque *decem*.
Poſt bisquinque, *Chorus* ſe miſcet, *Teuto-Latinis*
Exagitans Juvenum crebra pericla modis.
*Clauſula* ſed ternos cum *Plauſu* terminat Actus,
Conſtans alternis Teuto-Latina metris.
*Fine*, quod adjunctum eſt, vult *Acclamatio* dici;
Nè ſinè Votivo finiat Actus Io!
Porrò Theatralis juvat aſſignare *Synopſin*
Hiſtoriæ; Senſu quô recitetur, habe.

# Synopſis

## Actus I. Scena I.

Decipit occultis Mundi fallacia technis,
Spémque ruinosâ fundat iniqua baſi.

2.

Ictus arenivago ſemel à Serpente Viator,
Deviat, inflictô vulnere cautus, iter.

3.

Tertia Scena, joci modico pro melle Voluptam
Plûs nimis inſipidi fellis habere, docet.

4.

Expoliant foliis Borealia murmura frondes;
Veris delicias fur populatur Hiems.

5.

Vere tumet Mundi Juvenilis gloria faſtu:
Annihilat, florum Prædo, December opes.

6.

Candet Hyperboreæ Stabuli nive tecta mephitis;
In nihil adſcitum Sol agit omne decus.

7.

More friabilium, digitô fallente, vitrorum,
Rumpitur impulſu Gloria Vana levi.

8.

Sint inciſa petris licèt, & tua geſta metallo;
Tempore, rupturis ſqualida nemo leget.

9.

Frontis honore micas? Nimiùm nè crede colori;
Umbra color vultûs, nî genuinus, erit.

10.

Quàm leve momentum, quò Pavo ſuperbit in alis;
Tam mora, quâ turget Gloria Vana, brevis.

Chorus.

Inſinuat Mundi fraudes Juvenilibus annis;
Carminis & ſuadet duplice ſorte fugam.

# Innhalt

## Erſten Theils. 1. Einführung.

Welt-Pracht iſt Eytelkeit, und læhrer Kinder-Tand,
Ihr ganzer Hoffnungs-Bau ſich gründet nur auf Sand.

2.

Ein Wandrer, wo ihn hat ein Schlangen-Biſs verlezt,
Geht abwegs, und nit mehr dorthin ſein Fusgang ſezt.

3.

Lehrt das die Sinnen Luſt alldings an Hönigs ſtatt
Mehr Gall und Bitterkeit, als Mild' und Süſſe hat.

4.

Der Baum voll Æſt' und Laub, begrünte Frühlings-Zird,
Von Winters-Ungeſtümm' entblætert diebiſch wird.

5.

Im Früh-Jahr herrlich iſt der Jugend-Baum belaubt;
Den Alters-Wintermond der zarten Blüh beraubt.

6.

Offt unter reinem Schnee prangt ein verhülte Pfütz;
Doch bald zerſchmelzet er vom Brand der Sonnen-Hitz.

7.

Gleichwie ein zartes Glas im huy zu Trümmern geht;
So Herrlichkeit und Pomp der Welt nit lang beſteht.

8.

Ob Nahm und Thaten gleich geritzt in Ærz und Stein:
Wird über kurtz davon nit viel zu leſen ſeyn.

9.

Trau nit der Roſen-Schmünk, ſo auf den Wangen ſteht;
Gezwungen' Anſtrich-Farb, dem Schattē gleich, vergeht.

10.

Sich etlich' Augenblik der Pfau Schein-herrlich macht;
So wehrt ein kurze Zeit der Feder-Hanſen Pracht.

Chor.

Erkennen lehrt der Welt Betrug die Jugend-Zucht;
Ja rathet, zu entgehn dem Untergang, die Flucht.

## Actus II. Scena I.

Undâ ubi miſcetur Color, aufert ſpongia Crœſum;
Próque Corònato vertice, Calva manet.

2.

Cæſarei, quô Regna tremunt, jactantia Sceptri
Eſt ſimilis ludo, ludicre Mime, tuo.

3.

Innuitur, dum clauſa Repræſentatio Scenæ eſt;
Depoſitâ Actores veſte redire domum.

4

Ut ſublimè volans pyrios Tubus evomit ignes:
Sic ad momentum gloria vana micat.

5.

Exhibet aërios amplis efflatibus orbes
Puſio; dum moles rumpitur, humor aquæ eſt.

6.

Non aliter Mundus doni offert pignora, gemmas;
Qui volet oblatas tangere, tanget aquam.

7.

Comparat illecebras Sirenum cantibus, hortans;
Multiplici nocuos fraude cavere modos.

8.

Eſſe venenoſam Luxum pronunciat herbam,
Lugubris unde genus germinet omne mali.

9.

Appula fortuitô quem pungit aranea roſtrô,
Ridet, & in ſerum ſaltat, & emoritur.

10.

Obſequiis Mundi qui Vitæ dedicat annos:
Nil agit, ex toto robore quidquid agat.

Chorus.

Pollicitis Juvenis nè fidat inanibus, orat;
Deliciis quòd ſit nulla adhibenda fides.

# Anderten Theils. 1. Einführung.

Die Waſſer-Farb am Bild' ein feuchter Schwam̃ abreibt:
An ſtatt gecrönter Stirn, ein Toden-Kopff nur bleibt.

2.

Wer ſeinen Königs-Stab mit Stoltz und Hochmuth ziert,
Gleicht einem Gaukler, der nur Poſſen-Spiel aufführt.

3.

Gibt, wann das Fabelwerk ſich endet, zu verſtehn,
Daſs jeder Spieler blos muss von der Bühne gehn.

4.

Hoh das Raggetlein flügt, Kunſt-Feur, wie Sternen, ſprizt;
So faſt ein Augenblik, was Eytel, glænzt und glizt.

5.

Ein Kunſt-beſærbtes Rund blaſt jemand aus dem Schaum,
Wann es zerbœrſtet, iſts ein Tropffen Waſſers kaum.

6.

So auch Welt-Eytelkeit Geſchænck', als Perlen, reicht;
Kaum ſtrekt man aus die Hand, all's, wie ein Dunſt, ent-
(weicht.

7.

Vergleicht Sirenen Gſang der Welt Wolluſtbarkeit:
Drum ſoll man fliehen vor derſelben in der Zeit.

8.

Die Wolluſt wird allhier ein gifftig Kraut genennt;
Wie man es allenthalb aus bœſen Früchten kennt.

9.

Die Spinn' Apuliens, dems ihren Stich anbringt,
Der lacht, und tanzt ſo lang, bis er ins Grabe ſpringt.

10.

Der ſeine Lebens-Jahr der Welt Luſt Freuden gibt,
Nichts würket, was Er auch aus allen Kræfften übt.

Chor.

Will, daſs die Jugend nit Verheiſungs-Schmeichlen trau:
Weil Treu und Glauben bricht, ſo Glük-als Wolluſt-Frau.

Dritter

## Actus III. Scena I.

Interitura brevì, neglectim, ſuadet habere;
Econtra ſolidis invigilare lucris.

2. Mala repræſentat veſtita forinſecùs aurô:
Sub Cute pix, & olet Sulphur, inérsque Cinis.

3. Hæc Paradiſiaci commendat Poma Vireti,
Atque Animam Vitæ viviſicantis Aquas.

4. Diſtricto Siculus percellitur Hoſpes ab enſe,
Regificas inter pallidus ora dapes.

5. Indigitat rutilas, nitidiſſima ſidera, flammas;
Et ſuper his Divûm, tecta beata, lares.

6. Has adeò illuſtres habitandas aſſerit ædes
Dicturis: Apage, ô Munde! Volupta, Vale!

7. Caſtra Voluptatis generoſa relinquere Virtus
Commonet, & Cælum carpere verſùs iter.

8. Munera, quæ ſpondet veſana Volupia, calcat
Æternaturis Mens ſaturanda bonis.

9. Vana valere jubet deteſtans fœdera Mundi
Spiritus, & ſuperi flagrat amore Poli.

10. E deſiderio ſubeundi limen Olympi
Præpete morte, Deo perfruiturus, ovat.

Chorus

Dicit, Io! Pæan! Animo Victoris, & Odam
In ſignum plauſûs particulare dicat.

Clauſula

Germano-Latiâ Genium lacer explicat odâ
Vertumni Interpres, pactus atrinque, Vale.

Finis

In tot Vertumnus formas Variabilis, optat,
Ut videat Finem, ſed ſinè fine, ſuum.

Atque

# Dritten Theils. 1. Einführung.

Verworffen ſolle ſeyn der Welt Zergænglichkeit,
Erwœhlet aber, was daurt über alle Zeit.

2. Die Æpffel ſeyn, wie Gold, von auſſen anzuſehn;
Pech, Aſchen, Schwefel rücht von inen: Pfuy, wie ſchön

3. Wohl ſeelig, der davor vom Lebens Baum die Frucht,
Und Seelen-Lebens-Brunn im Paradeiſe ſucht.

4. Es wird ein Tafel-Gaſt bis in die Zæhne bleich,
Aus Forcht, er fühle ſchon gedrohten Säbel-Streich.

5. Zeigt, über alle Lufft, die Sterne weit hinaus,
Und über dieſe noch, das groſſe Gottes-Haus.

6. Der baut ſich eine Stadt im hohen Himmels-Zelt,
Der ernſtlich, pake dich, und Urlaub ſagt der Welt.

7. Das Wolluſt-Lager meyd', iſt edler Tugend Rath;
Wohl dem, der Himmel an zu reiſen Fürſatz hat.

8 Welt-Güther hœchſten Werts, ſo Uppigkeit verheiſst,
Verwürfft der Ewigkeit forthin ergebner Geiſt.

9. Der ehhin mit der Welt hat einen Bund gemacht,
Gibt nun aus Himmels-Lieb derſelben gute Nacht.

10. Begird zur Gottes-Freud vom Leib die Seele trennt,
Wer vorſtirbt, eh er wird ein Himmels Erb genennt.

Chor

Dem ſiegenden Gemüth, ſo jezt im Jubel wallt,
Zum Zeichen des Triumphs, ein Ehren-Lied erſchallt.

Beſchlus.

Erklært Vertumnens Sinn in Teutſch und in Latein
Sein Dollmetſch; ſoll hiemit das Spiel geſchloſſen ſeyn.

Beurlaubung.

Vertumnus, eh er ſich zum leztenmahl verwend',
Ohn' End wünſcht Gott zu ſehn, ſein abgezieltes End.

Atque hanc in geminam contractum eſt Drama *Synopſin*;
Si tamen hunc titulum *ritè* adhibere licet.
At, *ſilet* Autoris per Opus *Perſona*, loquendi
Copia *Vertumno* dum datur; ergo, *licet*.
Quamlibet informe, & tacitum ſit Drama: nec, ùt res
Dramatis, & propriè *Scenographia* petat;
Perſonam Vertumnus agat, pro more Theatri
*Scenicus;* at Numerô terminet omne Caput;
Donec *Terdecimô* ſic declamaverit: oda
Ut *quater* in *Senas* multiplicata ſonet.
Inde à Vertumno veterem (*Vetus*, & *Novus* audit)
Vertumnum poteris diſſociare Novo.
Ille Vetus *Decies* tantùm Variabilis, olim
Paruit; at Decies *ampliùs* iſte Novus.
Idque *ultra* decies; acceſſûque inſuper aſtat
Auctus *Teutonici*, quô caret ille, metri.
Fallor? An id, *Cenſor*, reprobas, ùt inutile pondus:
Quâ minimè Latiis conſociale modis?
Jam novi, Te cauſa fugit. Ratione, coactò
Non, placuit, caſu hos inſeruiſſe ſonos.
Quin ubi ſeceſſus faviſſet, & otia primùm;
Unâ Teutonicè reddere certus eram.
Nunc ſaltem, ut, Muſas qui non coluêre Latinas,
Vertumni è foliis carmina pauca legant;
*Pauca* ſubinſerui; (*Plures*, ſcio, plura repoſcent)
Ut videar genio nolle deeſſe ſuo.
Siqua tamen fuerint, ùt erunt hinc inde, Latinis,
Teutonicíſve, boni conſule, *menda* metris.
Sed Lyrici *Cortina* venit removenda *Theatri;*
*Specta;* Oculô *Prologum* vel patiente *lege*.

HEN-

# HENDECASYLLABI
## ALCAICI.
## Ad Ingenuam Adoleſcentiam.

*Adoleſcens! Tibi dico: Surge.* Luc. 14.

## PARÆNESIS.

QUem *Vanitatis*, quémque Licentiæ
Sontis *Voluptæ* (Triſtia nomina
Matrum duarum prava jubentium)
Jocô vel aſtu, ſeu Violentiâ
Non frangit apti roboris inclytum
Heroa; quamvis corpore pumilus
De Maſculorum vix cubitalium
Originatus gente breviſſima,
Haud æquet amplum molibus artuum
*Mimanta*: vaſtum ſive *Typhoëa*
Tergô, vel ipſi Centimanum *Gyan*
Horrore vultûs terribilem *Jovi*
(Exoticorum monſtra hominum) tamen
Illuſtre Magni Nomen habet viri,
Famæque dignus plauſibus, æthera
Laudatus implet, par ſuperis diis,
Quia orbe major. Tendiculas cavet.

Et Rete : nec quæ vincula raſili
Serpunt ſub herba : nec laqueos timet,
Quos ceſpes udô veſtiit aggere.
Sagace mentis lumine providus,
Explorat omnes illecebræ dolos,
Sortísque technas ſubſidiariæ
Prænoſcit, inter tela periculi
Securus omnis. Suppoſitoria
*Indago* fruſtra veſtit ineditos
Calles. Acutùm cernit, & obſitos
Virore caſſes in pedicas vafrè,
Lapſúmque tectos, exitialium
Fallaciarum præſcius arguit.

At, quem *Voluptas*, & cata *Vanitas*,
Perverſitatum conſiliariæ,
Ducésque honeſti moris, & integræ
Vitæ tenorem Vituperantium,
Malè ominatis ludificant ſtrophis,
Haud perſpicacem : Plangit aheneô
Circumplicatos compede poplites,
Gravique ſuras ære, rudentibus
Ad tranſtra vinctô Remige triſtiùs,
Feroce captus fraude. *Scholaſtica*
Adverte *Pubes!* Cernis, inanium
Fallax jocorum pignore Vanitas
Ut te laceſſat? Munere faſcinum
Datura largis in gremium volis
Ampliſſimarum prodiga dotium
Talenta ſpargit; ſed temerariê,
Olim in cavernis, proh! meliùs ſitô,
Eviſceratis cautibus erutô
Illudit aurô. Dives opum, fidem

Donis

Donis venundat, proque peculii
Splendore, teſtæ fragmina vitreæ,
Nucíſque caſſæ ſicca putamina,
Tam fronte mendax, quàm variabilis
Geſtu, & ſuperbi moris *hyperbolâ*
Subornat. Aulis nomine cenſuum
Infeſta, celſos in Procerum gradus
Sub captioſis conditionibus,
Ad Vanitatis quippe *decempedam*
Inauguratos in *Capitoliis*
Sublimat. At! Quò ſæpe *tyrannica*
Tangens ſuperbô nubila vertice,
Illuſtriorum Gloria Principum,
Faſtigiatis fulget honoribus:
Eô ruinæ proximior ſuâ
Lætantis inter publica, conſonô
Forô, Popelli murmura plauſuum
Quaſſanda nutat Proſperitas baſi.
*Exempla* Faſtis erue. Quis *Gyges*
Ubique felix? Vel cui Cæſarum,
Regúmve clavis Fors adamantinis
Fixit coronas? Vah! Diademata,
Thronique nutant! Purpura decolor
Auguſta pallet: Regia fit rogus:
Favilla faſtus. Non opulentia
(Præſtantiorem nomino ceteris)
*Cræſea*; *Cyri* judice calculô,
Hem! fata! Triſti ſupplicio pyræ
Addicta, ſalvô ſe ſtabilit pede:
Nec Amplitudo vel *Mithridatica*,
Subjecta *Ponto* ſceptra licèt *duo*

*Vicena* ſupra circumagat; ſuam
Cavet ruinam; denique *Pharnacis*
Lapſura ferrô. O! Impia Vanitas!
Jucunda ſoccô ſcena! ſed, heu! dolor!
Quantô ejulatu mixta cataſtrophe!
Inauſpicatæ ſcena Tragœdiæ;
Quod ex theatro, plauſibili quidem,
At, mox peractô dramate, ſqualido
Infructuoſis cum lacrymis eant,
Mæſto in cothurno, quotquot inaniis
Paucas in horas *Amphitheatricæ*
Fulsêre pompæ. Non adhibes fidem,
Anceps Iuventus? Conſule *Damoclen*,
E mille noſtri Teſtificantibus
Teſtem vel Unum *Carminis*. Inclytus
Splendor *Sicani* Principis, & joci
Regalis Aulæ, & Luxus, *Acinacis*
Pendentis è ſeta intuitu brevi
Evanuerunt; Temporis unicô
Punctô ſepultis plauſibus. O! fugax,
O! Triſte Regnum! O! parca breviſſimi
Momenta faſtûs! Deſine ludicræ,
Veſana Mundi Gloria Fabulæ.
Fallax eburno pro ſolio quotam
Tuî ſequaci, poſt Epinicii
Solemne carmen, Præfica, næniam,
Leſſûmque cantas? Imò, quod ægriùs,
Ipſo in triumpho, poſt lacrymabilis
Luctum cataſtæ Sandapilam ſtruis?
Ni præſtet alti celſa *Gemoniis*
Evicta ſcalis Furca *Polycratis*.

Fera-

Ferale buſtum, & ſuppliciô horridum
*Rufinus* aufert. *Eutropius* Spado,
Poſt *Ara* aſylum ſat breve, Civium
Factus furentûm Victima, turpiter
Humana liquit. Quin fera bellua
*Ablavianis* carnibus haud ſatur
(Spectaculum) *Sejana* cadavera
(Segmenta cæſi dico cadaveris)
Rapiat per Urbem. Tunc *Beliſarius*
Dolendus ipſis, ſcilicet, Hoſtibus
Utrôque caſſus lumine, publicis
Urgente panes in triviis fame,
Non erubeſcet poſcere *Cæſarem*,
Civémque; Cuivis Immiſerabilis.

Hic *Vanitatis* Terminus: Exitu
Hôc gaudet Ultrix. Reſpice fraudium,
*Juventa*, pompas. Dum licet, improbam
Vitare, vita gnaviter: & ſagax
Adverte falſæ *Symbola* gloriæ.

En! *Prora* plenis obvia carbaſis,
*Tranſivit*. Altum penniger aëra
Diffindit *Ales; tranſiit*. Hæc ſuas
Per arva *Curſor* præcipitat vias;
*Tranſivit*. Ignis filia, flammulæ
*Scintilla* paulùm lucida; *tranſiit*.
*Sagitta* jactu præcipiti volans
*Tranſivit*: ut nè ſit nota ſemitæ.
Pictura *Bulla tranſiit*; & *Nivis*,

*Vitrique* ſplendor, ſcenicus & lepor,
*Spectaculorum* luxus, & omnium
*Florum* venuſtas, gratia *Muſicæ*,
Et ſchema ſummæ Magnificentiæ,
Quodcunque Mundi *Gloria* protulit;
*Tranſivit* unà. Fumeus ùt *Vapor*,
Ut rara *Nubes*; ùt *Nebula*, ùt *Notus*.
Ut *Spuma*, *Pulvis*, *Ros*, *Odor*, ùt *Sonus*,
Ut *Umbra*; Sic Horaria Vanitas
*Tranſit*. Quid umbrâ *mobiliùs* dabis?
Nunquam ſtat; &, ſi ſtet licèt, eſt *Nihil*.
Vides inanis perfidiam Spei,
*Alumne* Phœbi? Nec tamen illico
In tela, in enſes Armiger evolans
Hoſtem laceſſis? *Surge!* Quis occupat
Torpor lacertos? *Surge!* Vel opprimat
Fluxæ cohortem mucro *Volupiæ*:
Aut *Vanitatis*, Martie, machinas,
Veſtram in ruinam vix numerabiles,
Quod Autor unum ſvadeo certius,
Elude cautô diffugiò, mali
Subactor Aſtûs. *Surge!* Negotium
Famæ, & decori Nominis amodò
Tracta, Salutis Cenſor, alacriùs.
Dignande laudum Victor adoreâ,
Talos, arenam dum petis, alite
Contra catervas cautior æmulas
Armâre pennâ: & præcipiti fugâ
(*Eſt in ſecunda ſæpe ſalus fuga*)

De

De more *Parthi* Militis haſtiger
Tui prementem calce ſonum pedís
Hoſtem triumpha. Dum *Pietas* probæ
Cuſtos *Juventæ*, non ſinè fœnore
Præclari honoris munificè bonas
Inſtillat *Artes* : non ſatís eſt, vaſras
Vidiſſe technas : Intolerabilem,
Morum inſtitutô plenus herilium,
Sed *Vanitatem* qui videt, & cavet;
Ille Eruditis æquiparabilis,
Et Virtuoſis annumerabilis,
Æquis Honeſti conditionibus,
Ætatis inter callidior pares,
Promotus omnes per Studii *Gradus*,
Ille, ille felix *Diſcipulus* ſapit;
Quin par *Magiſtro*, conſilii memor,
Victrice *Lauru* dignus habebitur.

## E SERMONE
# S. JOANNIS CHRYSOST.

In Eutropium; Operum tom. V.

*Vanitas Vanitatum ; Omnia Vanitas!*

UBi nunc inclytus ille *Conſulatûs* ſplendor? ubi illuſtres *Faſces?* Ubi applauſus illi, ac *choreæ*, epulæque, & feſti conventus? Ubi ſtrepitus Urbis, & illæ *Circenſium* fauſtæ *Acclamationes?* Omnia illa *periérunt*. *Procella* vehemens *folia* dejecit: *Arborem*, ſpoliatam reddidit jam *radicitùs* vacillantem; tantaque vis *Venti* impacta eſt; ut cùm *nervos* ejus univerſos concuſſerit: tum ipſam *funditùs* proſternere minetur. Ubi nunc *fucati* illi Amici? Ubi Compotationes, & *Cœnæ?* Ubi *Paraſitorum* examen, & *Merum* per totâm diem exhauſtum? Variæque *Coquorum* artes, & Potentatûs *Cultores* illi, ad gratiam omnia *dicere* & *facere* aſſveti? Omnia illa *Nihil*, nisi Nocturnum *Somnium* fuêre, appetente die *evaneſcens*. *Flores* fuerunt Verni: Vere exactô *emarcuerunt* omnia. *Fumus* erant; & ſoluta ſunt. *Bullæ* erant; & disrupta ſunt. *Araneæ* erant; & lacerata ſunt. Quapropter Spirituale hoc Dictum *occinimus* indeſinenter dicentes:

*Vanitas Vanitatum; Omnia Vanitas!*

VER-

# VERTUMNI
## METRORUM DIVERSITAS.

1. Tetraſtichon.
2. Dimetro-Iambico-Anacreonticum.
3. Sapphico-Adonium.
4. Trochaico-Euripideum.
5. Senario-Dimetro-Jambicum.
6. Hexametro-Dactylicum.
7. Parthenio-Hipponacteum.
8. Glyconio-Aſclepiadeum.
9. Senario-Iambico-Pentametrum.
10. Anacreontico-Boëthianum.
11. Hexametrum.
12. Alcaico-Horatianum.
13. Hendecaſyllabo-Phaleucium.
14. Alcmanio-Boëthiano-Sapphicum.
15. Anacrentico-Boëthiano-Euripideum.
16. Aſclepiadeo-Glyconium.
17. Dactylico-Alcmanio-Tetrametrum.
18. Sapphico-Glyconium.
19. Elegiacum.
20. Galliambico-Pherecratium.
21. Aſclepiadeo-Pherecratio-Glyconium.
22. Dithyrambus.
23. Scazon, ſive Choliambus.

# METRORUM SCHEMATA
## VERTUMNO FAMULANTIUM:
*In gratiam Tyronum Poëtices.*

1. Tetraſtichon. conſtat: Hexa- & Pentametrô.
2. Dimetro-Jambicũ. ⏑ ⏑ — | ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑
   Anacreonticum. ⏑ — | ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏑
3. Sapphicum. — ⏑ | — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏑
   Adonium. — ⏑ ⏑ | — ⏑
4. Trochaicum. — ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — ⏑
   Euripideum. — ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | ⏑
5. Senario Jambicũ. ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ — | — — | ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑
   ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ — | | — | ⏑ —
   Dimetrum. Ut ſupra.
6. Hexametrum. Ut conſtat.
   Dactylicum. — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | ⏑
7. Parthenium. ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏑
   Hipponacteum. ⏑ — | ⏑ — | ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — ⏑
8. Glyconium. — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑
   Aſclepiadeum. — — | — ⏑ ⏑ | — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑
9. Senario-Jambicum. utſup. Pentamet. conſtat.
10. Anacreontico-Boëthianum. ⏑ ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑
11. Hexametrum Heroicum conſtat.
12. Alcaico-Horatianum. ⏑ — | ⏑ — | — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑
    ⏑ — | ⏑ — | — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑
    ⏑ — | ⏑ — | — | — ⏑ | — ⏑
    — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏑

13. Pha-

13. Phaleucium. — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏓

14. Alcmanio-Boëthian. — ⏑ ⏑ / — — | — — / — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑ | — — / — ⏑

Sapphicum. Ut ſupra.

15. Anacreontico-Boëthian. ⏑ ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏓

Euripideum. — ⏑ | — — / — ⏑ | — ⏑ | ⏑ / —

16. Aſclepiadeum. Ut ſupra.

Glyconium. Ut ſupra.

17. Alcmanio-Dactylicum. — — / — ⏑ ⏑ | — — / — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏓

Tetrametrum — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏓

18. Sapphicum. ut ſupra.

Glyconium. ùt ſuprà

19. Elegiacum. conſtat.

20. Galli-ambicũ. ⏑ ⏑ — / — — | ⏑ — | ⏑ — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏓

Pherecratium. — — | — ⏑ ⏑ | — ⏓

21. Aſclepiadeum. ùt ſupra

Pherecratium. ùt ſupra

Glyconium. ùt ſupra.

22. Dithyrambicum. — ⏑ | — ⏑ / — — | — ⏑ | — ⏓


Archilochium. — ⏑ | — ⏑ / — — | — ⏑ | — ⏑ / — — | — ⏑ | — ⏑ / — — | — ⏑ | ⏑ / —

ex Trachaico, & Euripideo conflatum.

23. Scazon; ſive Choliambicũ. ⏑ — / — — / ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ — / — ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ / ⏑ — | — — / ⏑ — / ⏑ ⏑ ⏑ / — ⏑ ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ — | ⏑ — | — — / — ⏑

# I.

*Eſt fallax, fidere noli.*



Num Tibi crederem , Doloſa Vanitas?
An Tibi fiderem , ſallax Inanitas?
In firmo marmore conſtat Ædicula:
In fluxa glarea ſubit pericula.

VER-

# VERTUMNUS VANITATIS.

## I.

### *Eſt fallax, fidere noli.*

I.

De me, Munde, fidem nunquid vafer exigis ullam?
Vilis arena meam fulciat ergo Domum?
An mea ſpes habeat varios, ùt bractea, ventos?
An ponam nummos luſibus, absque lucro?

2.

Tibíne, Mundi Vanitas,
Tibíne, vana, credam?
Arena noſtras lubrica
Num ſuſtinebit ædes?
An muter omni ventulo?
An ſim propago Lunæ?
Locémne nummos? nec lucrer?
An ſemper ergo *pauſem*?

3.

Quanta fucatò, malesvada vultu
Vanitas ſpondet? Labiô bilinguis
Palpat: & fraudem ſub odore Veri
ſubdola vendit.
Fundat è vili lapides arena,
Oris incerti pretioſa, ſub ſpe
Elocat lucri, poſiti doloſa
Pignoris Anceps.

4.

Vanitas, quod intonabas
Ore plenô Claſſicum?

Noſtrâ

Noſtra forſan tecta mandes
Ex Arena ſurrigi?
Me ſequi, quò raptet Auſter?
Quove raptet Africus?
Damna pro lucro *paciſci*,
Vis, iniqua Vanitas?

5.

Inflata buccas arrogante Vanitas
Promittit ore grandia;
Et ſponſione larga mercatur fidem,
Irretiendo Credulos.
Struit ſuperbas ædium moles; id eſt:
Arces, ùt ajunt, *nubeas.*
Ridet, jocatur; ludit, ut fraudet; dolô,
Dum vana ſpondet, enecat.

6.

Méne tuis donis, ô perniciofa Voluptas,
Vis, adhibere fidem?
Ergo ſuper fragili noſtros incautus arena
Ædificabo lares?
Aut ea, noctivagæ, mea ſit Conſtantia ſortis,
Quæ ſolet eſſe Deæ?
An ſemper ſinè ſpe toties amiſſa lucrandi,
*Prodigus* æris ero?

7.

Malesvada, doloſa Voluptas,
Infauſta bellæ Vanitatis Altrix,
Super aridiore ſalebris
Fundare turres me jubes arena?
Detrecto, quod, Improba, Svades.
Ludum propinas? Ludo; ſed retracto:
Vultu

Vultu variabilis, æri
Noſtro rapinam ſubdolè minaris?

8.

Tu me præmiolis tuis
Irretire voles, frivola Vanitas?
Neſcis? In ſolido meas
Ædes callidior conſtruo matmore.
Non quôvis agitor Notô,
Ut celſis tremulat bractea turribus?
Damno dives es ex meo;
Jam tandem propriis invigilo lucris.

9.

Quæ pollicetur Vanitas, citra bonam,
Quantùm diſpicio, ſunt bona ficta fidem.
Fundanda, non in rupe *Tarpeja*, *bifrons*
Vult, ſit arenosâ Curia fulta baſi.
Animi repugnat Genius infracti: neque
Mobilis ad quemvis nutat, ùt illa, Notum.
Ludum propinans Teſſeræ, lævè in ſuum,
Ludicra, nè vincam, circulat *oſſa* lucrum.

10.

Dea fraudium, Voluptas,
Bona quanta polliceris?
Ego cautus ex Arenæ
Struo nulla mole tecta.
Boreâ ferimur omni;
Tamen haud movemur omni.
Jacis Aleam: potenter
Loculos meos *tuebor*.

11.

Blanda magiſtra mali, Doctrix malesvada Voluptæ,
Vana crepans, intenta dolis, quos ore bilinguis,
Inſinu-

Inſinuando fidem, mercaris, inania vendens,
Falsáque pro Vero. Non me dementia cepit;
Ut, quam fundo, domus fluidæ nitatur arenæ,
In ſolidis ſtatuenda petris: aut muter in horas,
Quemlibet ad Ventum variabilis? Alea jacta eſt;
Luſero ſi tecum; propriis inhiabo lucellis.

12.

Mentita frontem munera, Vanitas,
Spe larga, vibras; Decipientium
Ritu, prehenſuros retractis
Ludificas, inimica, palmis.
Ductura in altum grande palatium,
Cæmenta arenæ non ſolidabili
Committis: ut ludum propinqui
Interitûs, malefida, ludis.

13.

Ergo blanditiis tuis probatam,
O! Inſana, fidem dabo, Voluptas?
Ecquisnam ſapienter Architectus,
Fundat de fluida lares arena?
An Nos *Hippotadæ* putas nepotes?
An Lunæ? Peto certiora tandem;
Pro luſu ſatis æris elocavi:
*Curabo* propriam dehinc crumenam.

14.

Suppar eloquii pondere Suadæ,
Vanitas, mulcens petulanter aurem,
Conſiliô, noſtram ſegniter ædem,
Vis, arenoſo titubare fundo?
Fraus ſubolet! luſu ſubdola fallis:
Aleas furtim jaciendo, noſtros

*Emun-*

*Emungis* loculos; quà rea fraudis,
Surripis, *ludi* ſinè jure, nummos.

15.

Bona verba das, & aurô
Temperata, Vanitas!
Dare ſed fidem colori
Tergiverſor anxiè:
Siquidem voles, arenæ
Incubent palatia:
Ruitura, vix *locata*;
Non ero tam credulus.

16.

Orbis pernicies publica, Vanitas,
Tu me conſiliô, Suada, phreneticô
Inducas, fabricæ fundus ut aridis
Innitatur arenulis?
Ad cujusque Noti flabra agitabilis,
Vis, nutet mea ſpes? Jactilis in tuum
Colluſura voles ſe rotulet lucrum,
*Punctis* ditior Alea?

17.

Prava vafri Prudentia Mundi,
Cognita nomine Vanitatis,
Demne tuis ego ſvaſibus aurem?
Vis, mea ſtet caſa nixa arenæ?
Committamne ego cuilibet auræ
Ambiguam ſinè *meſſe* ſortem?
Tene ſinam, cum *fœnore* damni,
Lena, meis inhiare nummis?

18.

Spargis ampullas, & opima faſtu,
Hem! Dicteria, Vanitas.

Nolo;

Nolo, depoſcas licet, ex arena
Sublimare palatium.
Quæ calent oris mea verba, non ſunt
Eôdem tempore frigida;
Sed vicem reddam, quoties licebit,
*Alternare* latrunculos.

19.

Dives *Amalthæos* promittit Mundus honores,
*Tantaleas* arcas, *Pygmalionis* opes.
Quid ſequar? An cupidis teneam complexibus aurum?
Sitne fides donis danda, Profane, tuis?
Nè mea ſpes, vereor, ruituræ incumbat arenæ:
Labilis aut fundat culmina noſtra baſis.
Ludit, & *illudit*, docet experientia, Mundus:
Qui fidis, technis nè capiâre, vide.

20.

Dea Vanitas herilem ſimulans cata faciem,
Dulci affabilis ore,
Placitura ſvadet. Ergon' facili ſequar animô
Ad veſana vocantem?
Pavet icta mens, arenæ renuens ſua fatuè
Siſti tecta fugaci;
Inhiat meis lucellis, quoties dat ad *abacum*
Pugnô divite nummos.

21.

Conſultrix hominum peſſima, Vanitas,
Svadenti, genio diſſona, paream?
Vis? incumbat arenæ
Ædes noſtra friabili?
Inconſtans agiter flexilis ad Noti
Cujuscunque flabrum? Fraudibus Alea,
Me ſolvente crumenam,
Lucrum *volvitur* in tuum.

Vani-

22.

Vanitas, Magiſtra luxûs,
Bella fraudium Dolatrix;
Abſque firmiore fundo
Lubrica, vis, ex arena noſtra ſurgant prædia?
Vana ſvades, ſive credas,
Me moveri ad flamen Euri:
Sive ſigna teſſerarum
In tuum lucrum paciſci; Nolo: *noſcis* Aleas.

23.

Pomposa Mundi Vanitas *Palatinō*
Dat more dona; multa nempe *promittit.*
Hâc arte, captioſa quam probè callet,
In imperita vendicat fidem plebe.
Adverto technas: fundus eſt arenoſus,
Spes imbecilla, faſtus omnis ex plumbo.
Hucusque loculos fraudulenter *emûnxti,*
O! Aleatrix! Deprehenſa es in *furto.*

I.

Eytelkeit, Eytelkeit! Soll ich dir trauen?
Soll ich mein Häuſel auf Sand-Hauffen bauen?
Soll ich den Gang nach dem Wetter-Hahn richten?
Soll ich im Spielen, nur ſetzen und plichten?

# II.

*Cautos veſtigia terrent.*



Ut Infans uritur candelæ lumine,
Sic nihil tutum eſt in toto homine:
Incautum capiet Voluptas citiùs,
Cui nota Vanitas, fugit quantocyùs.

# II.

## *Cantos veſtigia terrent.*

I.

Abſit ! ohe ! Digitos ignem puer horret aduſtus;
Abſit ! Non tantì *Pænituiſſe* , volo.
Hic, cui non nota es , te comparet ære Voluptas;
Cui nota es, celerat vertere terga fugæ.

2.

Tener focum Puellulus
Flammis aduſtus horret :
Tanti profectò non emam
Perrenne Pænitere.
Mercator ille te volet ,
Qui dat fidem chelydris;
Qui Vanitatem noverit ,
Horrebit Officinam.

3.

Ardet , & fulget ſimilis pyropo
Pruna , quâ ludens digitos adurit
Pupulus ; Tantum aſt ego Pœnitere
Non emo tantì.
Efferæ vocem ſimulas Hyenæ ,
Blanda Deceptrix : niſi Vanitatis
Dona declinem ; jugulanda *caſum*
Victima fio.

4.

Mitte curas , & labori,
Fraudulenta , parcito;
En ! Aduſtus igne palmas ,
Vitat ignem Pupulus,

Quid moleſtas ? Crede, tanti
Pænitere non emo.
Nota merx eſt ; vade, augis
Stultiores decipe.

## 5.

Beatus ille, qui periculô catus
Sapit alienô cautior.
Fatum Pyrauſtæ triſte declinat Puer,
Semel crematus indicem.
Et Pænitere, Venditrix fraudum, voles
Tantì mihi tu vendere?
Abſiſte, Circe ! Pone, quam larvam geris;
*Nota es :* Gehennam non emo.

## 6.

Stultior haud Puero ſum, qui ſemel ignibus uſtus,
Abſtinet inde focô.
Gaudia delectant, pariunt guſtata dolores;
Nolo doloris opes.
Quem tua, Munde, latent mendacia, currit anhelus,
Et tua dona rapit:
Cui tua, Munde patet fallacia ; Cautior à Te,
Longiùs eſſe cupit.

## 7.

Infans ſemel uſtus, ad ignem
Timet ſecundò pollicem perurí:
Ego, nè tibi blandiar, odi
Perenne ſtulti pænitere facti.
Es nota Venefica, fraudum
Cautô paveſco machinas regreſſu;
In retia labitur, aſtu
Quæ tendis, illex Vanitas, ſubactus.

## 8.

Si carbonibus uritur
    Infans, damna cavens, abſtinet à foco:
Non ſum præcipitantior,
    Cujus pœniteat, non ego comparo.
Vah! Fanatica Vanitas!
    Ignotam *Phaëthon* te ſibi vendicet;
Deteſtabitur agnitam
    Salſis opprobriis pectus *Ulyſſium*.

## 9.

Non ſponte præceps in caminum proruit,
    Nuper Cereoli læſus ab igne, Puer.
Uno eruditus à periculo, cavet
    Flammas, naviſragam ceu *Palinurus* aquam.
Fugit dolenda, qui ſapit, cautus malô;
    Dogma quod excelſum nos *Metanæa* docet.
In rete Mundus fraudis ignaros trahit;
    Callidior caſſes effugit Ala ſuos.

## 10.

Facis ùt Puer favillâ
Digitos aduſſit, ignem
Fugit ictus! ergo demens
Mihi vendicem dolores?
Cata Vanitas! Perîcli
Es avara Nundinatrix;
Mala merx emenda proſtat:
Apage! Officina Mortis.

## 11.

Tutabor loculos: Semel ictus ab igne Puellus
Cautior è damno candentem vitat acerram.

Nolo

Nolo fraude capi : palpando decipis, inſtar
Aucupis , & tales geſtis obtrudere merces ,
Quas emiſſe, pudet. Fraudatrix improba, proſtas
Indignô pretiô : Valor at cui notus , abibit
Longè à mercatu ; Téque, ô viliſſima rerum,
Nè *dodrante* quidem coëmâre, reſignat *Apellæ*.

## 12.

Semel peruſtus lumine Cerei
Horret bis uri Puſio : Sic ego
Amolior vitæ, quod olim
Diſpliceat, reliquos in annos.
Serpentis ictu cautior avocat
Manum à caverna ; cui vafra Vanitas
E fraudium *nidore* nota eſt ,
Pignus amicitiæ reſignat.

## 13.

Infans balbulus uſtulatus, ignem,
Scintillasque fugit, rubrasque flammas.
Quis prudens faculis manus aduret?
Tantum non emo *Pænitere* tanti.
Ohe ! Noxia Vanitas ! Quis ille?
Incautus redimit negotiator
Mundi ludicra ; Qui ſapit, recedet;
Declinans fuga conſulit ſaluti.

## 14.

Quantô ſuſtineam tempore falli,
Negligens noſtro invigilare lucro?
Fumantem refugit Puſio torrem,
Vel ſemel tantùm digitos aduſtus.
Cujus pæniteat, non emo tanti;
Nec tuam fraudis moror officinam:

Me

Mercatrix nimiò noſceris aſtu,
Mercis hinc, quisquis ſapit, odit *Antrum.*

## 15.

Semel ad focum peruſtus,
A foco ſe retrahit:
Sapientis eſt, futuro
Eximi periculô.
Opulenta Vanitatis
Prende dona, qui voles;
Ego nolo; porrigenda
Noſco fraude turgida,

## 16.

Proteſtor! Subolet fraus: Sapientior
Uſtô ſum Puero, longiùs à foco
Subducente manum: non emo ſplendidum,
Cujus pœniteat, malum.
Non è damnificis agnita mercibus
Emptorem capies; Nobilis Inſtitrix,
Fel pro melle locans, ſub ſpecie boni,
*Pulchras* vendis ineptias.

## 17.

Nequaquam ſemel uſtus, in ignem
Præcipitat digitum Puellus.
Non tantì temerarius Emptor,
Ut reputas, emo pænitere.
Qui fraudum *monopolia* novit;
Ludibrii fugit officinam:
Quem reprobæ trahit optio mercis,
In tacitos volat ille caſſes.

## 18.

Huc gradu, Vulpes, propiore! *Terrent*
*Me Veſtigia*, (replicat)

*Nul'a retrorſum.* Leo, parce; nunquam
Venor ſponte periculum.
Cauta devito laqueos; oportet,
A te longiùs abſtrahi.
Qui peregrinis, ùt *Aſellus*, oris
Adſtat, ſe tibi dedicet.

19.

Incautum recreat candela accenſa Puellum;
Qui capit in vivo gaudia multa foco.
Pruna placet; donec digitos amburat; abhorret
Gaudia mox damnô cautus amata ſuô.
Sic quoque delicias proponit amara Voluptas;
Quis tantô pretiô lucra doloris emat?
Qui ſapit, inſtabilis fugiet mendacia Mundi;
Nì ſubitò fugiat, quàm *nihil* ille *ſapit*.

20.

Puer uſtus horret ignem: Placet eſſe Puerulô
Plùs ad noxia cautum.
Trahat ad dolenda, fixè volo, nulla cupiditas
Noſtri arbitria ſenſus.
Peregrina cui Voluptas, pretiô ſua redimit
Blandimenta peramplô;
Nihilì facit reflexè licitans, cui penitùs
Fraudum cognita merx eſt.

21.

Scintillas refugit nuper ad igneos
Carbones leviter læſus *Amaracus*;
Tantis Pœnituiſſe
Non commuto doloribus.
Mercatrix *Michale* pernicioſior,
Ludis, blanda, doli vi tibi credulos:

Igno-

Ignotam eligit Emptor;
Sed notæ inſidias cavet.

22.

Sufficit; *Piſcator* unô
Cautus ictu, de caverna
Submovet manum: nec uſtus
Cereô Puer, ſecundò vult aduri pollicem.
Nolo Pœnitere tanti;
Te, túasque nemo merces
Appetit, doli peritus:
Fraudis aſt ignarus, amens ſponte, damnis *obviat*.

23.

Deſipere nolim; ſed mihi ſit exemplô
Piſcator *ictus*. Poſt periculum cautus
Quicunque damna ſumptuoſa declinat,
Ille Sapientis promeretur agnomen.
Patet officina Vanitatis. Heus! Emptor,
Cave; virulentô plena *Pyxis* eſt ſuccô.
Infructuoſæ Pænitudinis germen
Quis emat? *Agyrta*, Munde; *claude* Mercatum;

# II.

Nein; ein gebrenntes Kind förchtet das Feuer,
Nein: Nein; das Reuen kauff' ich nit ſo theuer:
Wer dich nit kennet, der mag dich wohl kauffen;
Dem du bekannt biſt, wird zeitlich entlauffen.

# III.

*Dulcis Amaror.*



Si fortè libeat prædari faveas
Apum ædiculas, & mellis caveas:
I, cautè; vigilat vindex Apicula
Stringens aculei in furem ſpicula.

# III.

## *Dulcis Amaror.*

### I.

Quærna voles avidè populari Alvéaria, Prædo:
Et furtim liquidis expoliare favis?
Rem tenta cautè; vigil in grave vulnus Abactrix
Pro modico mellis ſpicula vibrat Apis.

### 2.

Manum, Puelle, cereas
Merſurus in cavernas,
Protendis Alvearii;
Ut Inde mella carpas.
Caveto: carò venditur
Favi libido guſtûs;
Aculeatæ mel ſuum
Cuſtodiunt phalanges.

### 3.

Pupus in plano quadriennis arvo
Mella veſtigans reperit, ſubítque
Os cavernoſi penetrale lentô
Pollice clauſtri.
Vix favô illivit digiti ſupremum,
Grandior multis Apis una torſit
Spiculum; exclamat Puer: O! Voluptæ
*Fellea* mella!

### 4.

Alveare curioſâ,
Innocens Furuncule,

Mellis appetens fluoris
Involas audaciâ.
Linge cauto cum timore;
Nè rapinam vindicent
Alvearis virulentô
Inquilinæ ſpiculô.

5.

Colles *Hymetti*, & floridæ ſaltus *Hyblæ*,
Eſcas anhelans melleas,
*Adonis* aliquis, reſcidi Puer labri,
Percurrit in Meridie;
Querulum ſecutus murmur, audacter manum
Apûm cavernis inſerit;
Sed os cupitô non adhuc tinxit favô:
Jam plorat, ictu ſaucius.

6.

Ceree mellificûm ruis infeſtare volucrûm
Tecta ſonora, Puer?
Faucis & eſuriem ſublatô ſiſtere furtim
Nonne madore favi?
Annuis; at moneo: Digitum, temerarie, tolle;
Stringit acumen Apis.
Siſte, ſequace manus crebrô *terebrata* venenô,
Furta tumore luet.

7.

Gremiô genitricis abactus
Puer paternos éjulat per hortos;
Cupidus libamine mellis
Amaricatum dulcorare guttur;
Apiaria cernit, & audax
Manu ſubintrat Mellis officinam;

Sed

Sed Apes jaculis cumulatim
*Læſæ* Puellum vulnerant vibratis,

8.

*Nuſquam tuta fides ;* Apum
Caſtis inſidians prædo laboribus
Dextram miſit in intimas
Cerarum caveas. Mox ululantium
Terret more novalia.
Cuſtos circumieas os Apiarii
Furem fixit aculeô.
*Medeæ* phialis ô mel *amarius !*

9.

Sub mellis offa Vanitas, blandè micans
Porrigit hoſtili ſæpe venena manu.
*Roſimunda* eburni toxicans labrum ſcyphi
*Helmigium* gelidô recreat amne ſuum.
*Fenella* malô ludit aureô : aureô
Sed jaculans malô miſſile, corda ferit.
Sic Vanitatis quisquis ex Apiario
Dulcia mella volet carpere, fella legit.

10.

Stat ad oſtium Puellus
Apiarii paterni
Liquidi cibare linguam
Cupidus favi medullâ.
Digitum tetendit. Ohe!
Quid agis, tenelle prædo?
*Latet hoſtis :* en! acutô
Terebravit ora telô.

11.

Juncina, nî fallor, prædatum Apiaria pergis
Ad colles redolentis Hyblæ caſiamque, thymumque,

Prætextate *Plato*; cui circùm plurima cunas
Mellificabat Apis, labiorum in limine dulces,
Credita, depoſuiſſe favos. Non tempus, ùt olim,
Nec *fortuna favet*. Protenſam retrahe dextram:
Nam cupido tibi mellis Apis, quaſi mella propinet,
Quod minùs expectes, vulnus digitale rependet.

12.

Invadis arctas mellificantium
Ædes Volucrûm, Puſio, melleam
Furace retracturus offam
Ingeniô, unguiculóque curvô.
Res eſt nocivi plena periculi,
Quam machinaris. Labra madent favô
Necdum excavatô: jam vibratâ
Fixit Apis digitum Sagittâ.

13.

Quodſi dulcia prurit appetitus
Ad jentacula, melleósque ſuccos;
Cautô condita tolle liba carptu;
Nè dent meliea felleos dolores.
Farcis ora favi, Puer, placentâ,
Dulcorans labii ſuprema melle;
Sed quot virgineis brevem Meliſſæ
Perfoſſus jaculis *lues* Voluptam?

14.

Mellitos avidus viſere colles,
Sole maturam dirimente nubem
Prædaturus Apûm caſtra ſubintrat
Chloridis pictos *Hyacinthus* hortos:
Certus mella cavis eruere areis.
Eruit; ſed dum linit ille dulci

Os,

Os, & labra favi *glutine*; clamat:
    Heu! meas fauces Apis icit; eheu!

## 15.

Niſi dulcibus palatum
    Mulceas eduliis,
Sapidum nihil probatur;
    Hinc merum mel eſuris,
Apiario propinquus.
    O! famem tyrannicam!
Mel edis; ſed intumeſcit
    Lingua *melle* ſaucia.

## 16.

Quò te parve pedes; Puſio? *floreum*
*Perluſtrabo nemus.* Cur? *Mel in areis*
*Collecturus Hyblæ.* Melle quid apparas?
        *Laxis faucibus ingeram.*
O! Mentis fatuæ conſiliarium!
Ibis nempe favos carpere flebili
Cum damno. Viden', ùt ſe cumulent apes?
        *Miſturæ* mel aculeò.

## 17.

Deguſtanti mellis orexis
    Si movet, atque favi libido,
Expoliare Apiaria donô
    In caveis Apium repoſtô.
Vertitur Alea plena pericli
    Inſidiantibus Alveari;
Servat Apis, noctúque, diúque
    Vindicibus ſua mella telis.

## 18.

Credo cautelæ: nec enim, quod offers,
    Mellis glutio pabulum:

Nè ſub optata, veritus, ſagina
Me configat aculeus.
Dulce pulmentum eſt; ſed in Alveari
Servant excubias Apes:
Vindices raptos ut aculeatis
Compenſent jaculis favos.

19.

Stant in Chaoniis Apiaria plurima ſilvis,
Mellifici multum ſtridula clauſtra gregis.
Hnc ætate tener *Phaëton* comitatus *Hyante*
Promovet, ut guſtent roſcida mella, gradum.
Cautior alter Hyas; cave ſis, ait, indere palmam;
Irritata manum cuſpide figet Apis.
Invaſit tamen ille favos; ſed in ore cavernæ
Intumuit crebris morſibus ictâ manus.

20.

Lubet ergo bombilantûm, cubitalis Animule,
Ferri in tecta volucrûm?
Ubi liba mellis inſons glomeravit Apicula,
Dulcis liba lab'ris?
Pede pendulô propinquis Apium recubitibus
Te, te, ſuadeo, junge:
Nec in os ſubi Alvearis; secùs undique jaculis
Fixus triſtè dolebis.

21.

Surreptum properas ex Apiario
Mellis, Pupe, favos? Diſpice, ſvadeo,
Res eſt plena perîcli,
Hæc molimina cautiùs.
Impinguat labium dulce mel; at gula
Necdum tincta favô eſt; jam caveis Apis

Elu-

Eluctata ſonorô
Plauſu figit aculeum.

## 22.

Melle ſtagnat Alveare:
Prurit ad favos orexis?
Linge cautè, qui palatum
Hôc refrigerare tentas pertinace eduliô:
Appetitûs vim coërce,
Mellei nè prædo libi,
Antequam fruâre furtô,
Ambo vindicante labra ſauciére ſpiculô.

## 23.

Non è patella, mellis at favos fonte
Auferre ſuadet liba odora pruritus,
Dulcique guttur ferculô ſaginare
Ex Alveari? Perge, inebria fauces
Liquore gilvô: nî tamen manum cautè
In officinam mellis ingeras; Scito:
Periculoſam vertis aleam; furtum
Telô eſt *Apum Rex* ipſe vindicaturus.

## III.

Treibt dich der Fürwitz zum Hönig-Saum ſchleken?
Trau nit; es iſt ein gefährliches Leken.
Hönig, das Leffzen und Zunge verſüſſet,
Wird mit viel Immen-Stich plötzlich gebüſſet.

# IV.

*Hæc Balthea detrahet Eurus.*



Quæ Veris tempore vireſcunt folia,
Mox fiunt Hiemi accepta ſpolia:
Candeſcunt nivea in lana Ramuli;
Sed decus perditur flabellô Ventuli.

# IV.

## *Hæc Balthea detrahet Eurus.*

I.

Arboribus gracilis folioſos veris amictus
Ocyus adveniens depopulatur Hiems.
Vix virides niveis albeſcunt floribus Horti;
Flos citò, præcipiti turbine flante, perit.

2.

In vere rident ramuli,
Et Arborum capilli;
Sed bruta ſenſu vellicat
Vernos Hiems amictus:
Quin Hortus iſte mollibus
Ut floribus ſuperbit,
Spirante leni turbine,
Flores *fuêre* : non ſunt.

3.

Frondium bellè trepidant capilli,
Vere dum ſpirant Zephyri; ſed arbor
Vere frondeſcens, hiemalis aret
Murmure Cauri.
Imò, quod velô tegit Arboretum
Floreô *Chloris*, cadit ad jocoſi
Sæpe, nè labrum Boreale culpes,
Flabra Favoni.

4.

Flore candidata vernô
Frons in hortis albicat;

Sed pruina ſpiret, omnis
Pompa florum concidet;
Pinge *Pæſti* rus, & *Hyblæ*,
Pinge *Tempe* Theſſala:
Hæc in urnam ponet unus,
Sed *Bootis* halitus.

5.

*Adonis* ille cultor *Erycinæ*, ſuos
Inambulabat hortulos,
Decore vernô frondium ornatos videns.
In ejulatum ſolvitur.
Eccur? *Aprilis* decoquet frondes, ait,
Florúmque vellus candidum,
Boreâ tacente, Zephyrus, afflando, glabri
Abſterget oris *oſculô*.

6.

Aſpice Pæſtani vernantia ſepta vireti,
Ut micat alta Cedrus:
Sæva tamen vernis intentat prælia cedris,
Grataque ſternit Hiems.
Alcinoi bis culta recens *Pomona* nitenti
Excolit arva nive:
Florigeros, Zephyris leviter quatientibus, hortos;
Florida pompa cadit.

7.

Vernante ſalubriter annô,
Horti venuſtis frondibus renident:
At, ſidere ſub *Capricorni*,
Virore caſſi, frigore obrigeſcunt.
Spargente nivalia Majô
*Aulæa* florum Chloridis per aulas.

Si

Si quando pepercerit Auſter,
Eteſiarum *ventilabra* diffiant.

8.

Rident pegmata Chloridis,
Quando ſole calent jugera vernulô:
Inconſtantia temporis!
Brumali moritur gratia turbine.
Et quæ veſtiit Arbores
Floræ candidulis filia crinibus,
Plorat, calvitiô videns,
*Defluxiſſe* comas, & niveum decus.

9.

Pomonæ in hortis Symbolum inconſtantiæ
Qui cupit, & mundi vota videre; videt.
Amœna Veris gratia hic ridet: viret
Omnis enim foliis arbor operta ſuis.
Hoc, Vere; ſed dum ſævit in campos Hiems,
Gratia buccoſi diſperit ore *Noti*:
Foliaque diſſipantur, & florum nives
Abſumunt Zephyri deſide *labra* flabrô.

10.

*Zephyrus*, Pater roſarum,
Ubi ſpirat ore *Majum*,
Nemus omne floret: hæc eſt
Nota Veris. Ut ſevera
Flat Hiems in Arboreta;
Perit omnis iſte cultus,
Et Adonidis roſetum
*Spoliabit* udus *Auſter*.

11.

Ver tepet, & Zephyri flabrô vernantibus hortis
Frondeſcit quævis veſtita viroribus Arbos,

Læti-

Lætificis redimita comis. O! curta venuſtas!
Intempeſtivi ſoror, aut matertera Cauri,
Mox detondet, Hiems, virides inimica capillos,
Et quamvis niveô florum velentur amictu,
Arboreæ ſtirpis, ramoſa cacumina, frondes;
Protinus à tremula nix florum tollitur aura.

12.

Horti comarum luxuriantium
Præſente rident vere viroribus:
Frænate riſum: uret boatu
Calviciem Scythicô December.
Quin & per hornæ Chloridis areas,
Vi ludibundâ flante Favoniô,
Ut Syrios halat tepores,
Nix liquefiet *odora* florum.

13.

Hortorum areolas reviſe mecum,
Ut vernô ſata ſole læta vernant.
Ut quercus foliis novis ſuperbit.
Punctum temporis eſt. Hiems ſeverô
Vultu ruſticior reviſat arva;
Quo florum facies abivit? Arbor
Jam pro floribus albicat pruinis,
Et *Parthâ* nive. Quæ viciſſitudo!

14.

Lætabunda viret frondibus Arbor,
Ver ùt afflavit nemorum receſſus;
Frigoris at tondet forfice Veris
Bruma vernantes inimica ramos.
Imò deciduâ ceu nive frondes
Floræ conſperſæ redolente Majô;

Momen-

Momentò *vacuæ* floribus algent,
Vel levi tactæ Zephyri ſuſurrô.

15.

Vice Veris alget Arbos
Frondium viroribus;
Sed Hiems decore vernô,
Arboreta pauperat;
Nive candicante florum,
Quâ niteſcit, Hortulus,
Spoliatur à ſuſurro
*Tinnuli* Favonii.

16.

Quæ ſublimè virent arva, *Semiramis*,
Floræ pace tuis pendula ſumptibus:
Ceſſiſſe in ſpolium flebile, frondeam
Cauro cæſariem, dolent.
Quas florum niveô vellere gratia
Veris, pro viridi, veſtiit arbores,
Has orbat niveâ *Sindone*, non Notus;
Sed ſons prædo *Favonius*.

17.

*Alcinoi* viret Arbor in hortis
Vere novis foliata ramis:
Nec Majô cohibente, viroris
Depopulatur Hiems amictum:
Dum nivis inſtar flore niteſcit
Albicomi nemus Arboreti;
Nix, Zephyrô ſpirante, liqueſcit;
Non opus Æoliô Suſurrô.

18.

Vere dum *Pæſti* dea veſtit arva
Gratis *Flora* viroribus:

Flori-

Floribus Rami nivis inſtar elbent
Obtecti cooperculô:
Aſt rigor torvis hiemalis hirquis
Ver ùt diſpulit Hortulis:
Lege Pomonæ, Paphiæque Floræ
Culta *emarcuit* Area.

19.

Ecce! Semiramiis ùt vernat cedrus in hortis,
Ut redolet tremulis fraxinus alta comis.
Heu! Breve delicium! Brumæ intractabilis ira,
Eheu! cum foliis decutit omne decus.
Si lubet, hortorum circumſpice pegmata, florent
Omnia vernanti circumamicta nive.
Momentum eſt. Geticus plenô *boët* Africus ore:
*Sibilet* aut Zephyrus; florida pompa cadet.

20.

Viden', ùt jocante Florâ, Zephyríque comitibus,
Fagus fronde vireſcat;
Hiemalis at Decembris reboante *Tubicine*,
Decalvata rigeſcit:
Etiam decore Chloris redimita *nivicomô*,
Dum Vere albicat Arbos:
Metuit Favoniòrum pavefacta ſonitibus
Florum amittere *vellus*.

21.

Hortorum facies haud eadem eſt; Hiems
Cultas vere rudis deſpoliat comas:
Vernans frondibus Arbos
*Decalvatur* ab Africo.
Imò dum ſolitis floribus Arbores
Hibernâ nitidæ ceu nive candicant:

Non

Non à vindice Cauro;
Sed difflantur Eteſiis.

22.

Sortis omnis Arboretum
Frondet annuô virore,
Sceptra per *Neronis* hortos
Ventilante Vere, Rege *Temporum* Quaternii.
Da guberniô viciſſim
Exui Ver a Rigorum
Matre, Bruma: nulla frondet,
Nulla floret inter omnes Arbores *Adonidis*.

23.

Ergo, *Babylone* Flora ſemper *in flore* eſt?
Ergo æviterno floret Hortus in *Majo*?
Nil prodiderunt, quod ſcio, hactenus faſti.
Etiam *volantes* areas ferit bruma,
Flores trucidat, Arborumque decalvat
Apices December, aut aquoſus October.
Sed floret Arbos: quamdiu putes? Donec
Auræ ſuſurrus *decoquentis* aſpiret.

# IV.

Gleichwie der Baum, den der Frühling belaubet,
Wird von dem Winter der Blätter beraubet:
Auch wann die Blühe, wie Schnee-Wolle ſtehet,
Leicht ſie ein widriges Lüfftlein verwehet.

V.

# V.

## *Nihil durabile Rerum.*



Sic ſalax Vanitas ſaltat, & intremit,
Quam levis Ventulus citò interimit;
Quin tempus vernulum quando diſparuit,
Jam Mundi Vanitas omnis exaruit.

# V.

## *Nihil durabile Rerum.*

I.

Sic etiam tremulat vaniſſima Gloria mundi,
Bombilat ùt placidis aura jocoſa ſonis.
Aſt procul ad Gyaros Æſtate, & Vere fugatis;
Nil pallens Mundi gloria *floris* habet.

2.

Sic vana Mundi Vanitas,
Albet, micat, coruſcat,
Tanquam Sonora Vernulis
Suſurret Aura flabris;
Sed quando Ver defloruit,
Et terminatur Æſtas;
Abs flore mundi gloria
Obnubilata *pallet*.

3.

Hôc modô riſus ad Eteſiarum
Pompa Mundanæ micat, & tremiſcit
Gloriæ; ùt vernos populi propinat
Aura favores.
Veris at regnô penitùs remotô,
Nuper æſtivâ *moriente* Florâ,
Ambitus, faſtus, ùt inanitatis
Pompa, fatiſcunt.

4.

Sic, Volupta, ſic jocâre
Mille lude baſiis,

Sparge

Sparge flores, aut odores
Nardi, amomi, cinnami:
Lude, plaude veris inter
Blandulos Eteſias;
Terminetur Ver, & Æſtas;
Interibunt omnia.

5.

Ut Flora primam frondium lanuginem
Vernantis ævi vultibus
Inſpergit; Ætas illa jucundô tremit,
Plaudit, ſalit pedemate.
Promptum Voluptas ad ſuos nutus habet
Vernæ Juventutis gregem;
At Bruma *Senii* vix videndam ſe dedit;
Veris *figura* emarcuit.

6.

Sic primæva hominum quoque deliciatur amatis
Vita repleta jocis:
Donec firma novus vegetat præcordia Sanguis,
Sanáque Vena ſalit.
Verte manum: perit omne decus, juvenileque vitæ
Ver fera calcat Hiems.
Non opus, horrificos Aquilone ciere tumultus!
Flante ruit *Zephyrô*.

7.

Ità ludicra plaudit ovantis
Sub ſole verno Vanitas juventæ,
Micat, exilit impigra blandos
Ad lætioris aurulæ ſuſurros;
Sed tempore Veris abactô,
Auramque flabris Æolô aſperante,

Ætas

Ætas Juvenilis hebeſcit,
Et marcet ævi *floridi* venuſtas.

8.

Quàm ſpectabilis emicat
Ad murmur Zephyri buxea Vanitas?
Dum verni radiant dies,
Et Cœlum placidis ludit Eteſiis:
Vere, Æſtatéque mortuis,
Ut ſævit rigidis aura Decembribus:
Defloreſcit, & in ſuum
Fatalis *Nihilum* pompa reſolvitur.

9.

Hic Vanitatis eſt in humanæ gradu
Ætatis proprius, quô fuit uſa, ſtilus.
Annos quousque Majus inſpergit roſis,
Subſilit artifici læta Juventa pede.
Mox ùt December Lilii aſpergit nives;
Langueſcit tremulô ſtipite nixa gradu.
Diverſa, & eadem: nam Juventa quæ fuit
*Florens* dicta priùs, *cana* Senecta modò eſt.

10.

Ità Vanitas in ipſis
Quoque floribus triumphum
Celebrat, ſibíque plaudit.
Sed ohe! Brevis Voluptas,
Peritura, dum fruenda.
Hominum caduca ſors eſt;
Virides dies Iuventæ
Populabitur Senecta.

11.

Haud aliter Mundi, ſociemus inania vanis,
Gloria ſubſultat, tenerâ vernante Juventâ,

Deli-

Deliciis innixa, vafræ pro lege Voluptæ;
Veſtit ùt imberbes lanugo tenellula malas,
Et circùm ſerpit juvenem roſa rorida frontem.
Demus at in vetula ſenſim crebreſcere rugas,
Et nævos vultu: nuper roſa florida marcet,
Purpura fit pallor, *flaccent* ſinè Vere corollæ.

12.

Floreſcit annis ſub Juvenilibus
Mortalis ætas: donec Eteſiis
Per flatus inclareſcat Aër,
Et rutilô micet Aura vento.
Da, Veris, ùt fit tempore, gratias
Languere ſenſim, Vanuit, inquies,
Expertus olim, Vanitatum
Gratia, flos genialis ævi.

13.

Hic eſt denique Vanitatis ordo,
Sic ridet, ſalit, occinit, jocatur,
Dum ſpirant Zephyri, Favoniique,
Blandorum comites Eteſiarum.
Fac, Ver eſſe procul; fac, exulare
Æſtatem; & numera deinde flores,
Qui Mundi malè ſerviant corollis;
Dices: Sub *nive* putruêre cuncta.

14.

Non aliter tumidi gloria Mundi,
Floribus candens teneræ Juventæ,
Exultat viridis plauſibus ævi
In ſinu vernæ *vitulata* fortis;
Ut ſenſim tremuli gaudia Veris
Mox & æſtivi tepuêre ſoles.

Muta-

Mutatur tenuem faſtus in umbram,
Vanitas, ohe! *ſinè* flore torpet.

15.

Simili ſuperba faſtu
Dum Juventa vernulat:
Sua prodigit parerga
Florulenta Vanitas:
Hiemante porrò cœlô,
Et jocis rigentibus,
Senii gelata brumâ
Torpet, alget, aruit.

16.

Hæc ſunt vanicrepæ ſymbola gloriæ;
Annis floret, ovat ſub genialibus:
Vere Ætatis enim læta procaciæ
*Innutritur* eduliô.
Sed bellum moveat bruma ſenilibus
Ærumnæ, & febrium cincta minaciis;
Buxô pallidius Ver meditans fugam,
Vix *viſâ* moritur nive.

17.

Sic vivit genialiter Ætas
Flore recens viridis juventæ;
Apta dies, luſúque, jocíſque
Dilapidare licentioſe:
Annorum ſed Vere fugatô,
Et genium cicurante brumâ,
Ex oculis abit, ocyùs umbrâ,
Floridulæ nota Vanitatis.

18.

Si rei teſtem rogites, ad unguem
Explet ſymbola Vanitas:

Veris ad primos ſaliaris annos
    Riſu ſolvitur, & jocis:
Da ſenectutis vetulos gravari
    Tempeſtatibus *Æſonas;*
Flos perit, marcet gena, quâ *micabat*
    Inſtar nuper Adonidis.

19.

Non ſecùs in teneræ jucundo Vere Juventæ,
    Omnia ludibriis, omnia plena jocis.
Vivitur illecebris, eſt tota *in floribus* ætas,
    Occupat & ſummum vana Volupta locum.
Da tamen, æſtivos aliquando perire calores;
    Cumque ſuo Ætatis ludicra Vere mori,
Interiiſſe tuos cum vere fatebere flores;
    Dum *cinere* aſpergit cana ſenecta caput.

20.

Vaga Vanitas tenellis adamata Juvenibus
    Vernis floribus albet:
Micat elegantis ævi nive læta, periodum
    Longi temporis optans;
Sed, abacta ſpes! Tepeſcit nivei decor Animi,
    Tanquam *primula* Veris,
Hiemante qualis Aſtrô, reſoluta, celeriter
    In ſiccum Nihil *aret.*

21.

Ætatis melior gratia floridæ
Summatim niveis obſita jubilis,
    Tota in floribus albet,
        Tota in deliciis viret.
Sed pulſis, refugô ſole, coloribus
Annorum vegetum; Veris amabili

Flaccet

Flaccet cándor in horto,
Marcet Spirituum vigor.

22.

More tali Vanitatis
Pompa, Vernis ridet annis,
Ut, Jocô movente ſenſus,
Ad vagi ſonum Zephyli cuncta ſunt *in floribus!*
Sed genas arante rugis
Frigidæ Brumâ Senectæ,
Cedit elegantiarum
Flos, & è rubente vultu *migrat* oris gratia.

23.

Arbuſcularum pullulantium ritu,
Jocante Majô, vana Gloria exultat,
Seſeque palpat, mulcet, & polit, ruſi
Inſtar *Sciuri.* Dum vigor Juventutis
In Vere floret virium, & recens ſanguis
*Ebullit;* omnem vendicat ſibi plauſum.
Autumnus Æſtatem, at Hiems ſequatur Ver;
Quàm Vanitatis *impetum* coërcebunt.

V.

Alſo die Eytelkeit flattert und zittert,
Wann ſich ein günſtiges Lüfftelein wittert;
Aber, wann Frühling und Sommer entfliehet,
Iſt von der Eytelkeit alles verblühet.

# VI.

*Deteriora latent.*



Contingit ſæpius ſub Nive candida,
Quòd fimi tegitur cloaca putrida;
Sed ſplendor pariet erubeſcentiam,
Tollente Cynthiô nivis philautiam.

VI.

# VI.

## *Deteriora latent.*

I.

Sub candore Nivis, dum ſunt Nivis omnia plena,
Sæpe latet tepidi fœtida maſſa fimi.
Detegit at putridum confuſio fœda fimetum,
Poſtquam ſole omnis *larva* micante perit.

2.

Nivis ſub albo tegmine
Dum campus omnis albet,
Nemo putaret, ſæpius
Vaſtum latet fimetum:
Confunditur ſuperbia,
Et bracteata pompa:
Quando nivale *pallium*,
Urente ſole, cedit.

3.

Albet hibernâ Nive palliatus
Chloridis campus: nemus omne candet;
Quin & obductum niveà nitefcit
Veſte fimetum.
Palma *nativos* perhibet virores,
Ut nives, Phæbô radiante, cedunt;
In ſuo ſtagnans, velut antè, *cœno*
Squalet oletum.

4.

Sæpe candicante velat
Nix latrinas tegmine.

 Ut

Ut putet, micante gazas
Hôc tapete contegi:
Vix *meridiando* Velum
Sol nivale ſuſtulit;
Ecce ſordes! obde nares;
Fœtet: obde linteô.

## 5.

Buccâ Sonorus *Æolus* ſpargens nives,
Vallésque, collésque obtegit.
Candore tellus albet omnis, & ſub hoc
Fimus ſuperbit pallio.
Breve ò fugacis gloriæ punctum! Tumor
Horarii tapetis!
Vix Manè Phœbus *ore* radiosô emicat;
Omnem apparatum *glutiit*.

## 6.

Tempore, quô Geticis frendentibus undique Cauris,
Nix tegit omne ſolum:
Sub Nivium ſordes etiam candore teguntur,
Colluviésque luti.
Sed fruſtra vanô *ſentina* decore ſuperbit,
Non manet iſte color:
Sole vibrante faces, pretiúmque, nivésque recedunt,
Cum nive fictus honor.

## 7.

Tunicâ cooperta nivali,
Candore tellus, quâ patet, niteſcit;
Sed tegmine ſæpe ſub albo
Putret fimoſæ fœditas cloacæ.
Jaculetur ab æthere Phœbus
Lucis ſagittas vix meridiantis;

O! Va-

O! Vana Superbia! Splendor
Se mutat, & Nix in *fimum* liqueſcit.

8.

Doctrix Experientia
Gemmam non vocitat, quod nitet aforis;
Alba ſub nive ſordium
Putris colluvies ſæpe coagulat:
Solares radii fugent
Vibratô igne nives: quid videas, refer;
Clamas: fœtet, & obſtruis
Nares; omnibus eſt teter odor gravis.

9.

Quantus colorum eſt arrogantium tumor!
Affectat primas quilibet, unus habet.
Cedamus *Albo*: palma candorem decet;
Omnia telluris dum cooperta nive.
Fert principatum; quidquid eſt color, ſuis
Contegitur, nec non fæda cloaca, comis.
En! ùt ſuperbit hôc *operculô* fimus!
Sol radiis luteum *Turpe* revelat. Ohe!

10.

Aliquando ſub decori
Titulo minùs ſagaces
Capit iſta machinatrix.
Nive candicant cloacæ;
Pretium latere credes:
Malè credis; Ecce! Solis
Radiò meridiante,
Inhonora *fraus* pateſcit.

11.

Tempore, Carpathicas quò deſpuit aſper acutô
Africus ore nives: montes cum vallibus albô

Splendeſcunt habitu, quô ſe quandoque probroſi
Induit, ut niteat, lutulenta mephitis oleti.
Pulchra latere putes, operiri hôc tegmine gemmas
Neſcio, quas credas; tamen ùt ſtimulando *Phlegontas*,
Nec medium Phœbus curru eſt emenſus Olympum,
Nix abit, & putridam *retegit* fugitiva latrinam.

12.

*Arctoa* quod ſi Sarmaticâ nive,
Frendente *Corô*, contremuit plaga:
Terra omnis albeſcit, dealbat
Nix olidas etiam cloacas.
Mirum! Nivali candida cyclade
Fœdi ſuperbit colluvies luti;
At ſolis apricante luce,
*Albicomus* fimus erubeſcit.

13.

Non, quidquid rutilat, vocatur aurum:
Non ex exteriore res nitore
Sortitur pretium; Putres dealbat
Nix ſordes etiam, ſuperbiorem
Sentinam faciens. Repone criſtas:
Expectato *Meridiem*: videbis,
Sole urente aliud. Quid ergo? Nares
Ambas obſtrue, fœtidam cloacam.

14.

Omnia dum niveô velat amictu
Filius Brumæ, rigidus December:
Sæpe ſub albenti tegmine, faſtum
Jactat elatô ciliô cloaca;
Sed criſtas *Upupæ* prodita ponet,
Et tumor probri citò detumeſcet;

Dum

Dum ſolis radii pallia tollunt,
Et dies fætorem *oculis* revelat.

15.

Nivis ùt recente lanâ
Obteguntur omnia,
Olet inſuper fimetum
Sub nivòſo tegmine;
Sed avita poſt puſillum
Turpitudo proditur:
Liquefacta quando ſole
Nix *probroſa* detegit.

16.

Valles acris hiems, & juga montium,
Ut trux fauce nives deſpuit Africus,
Albâ veſte tegit: Sicque nitent luti
Faſtidita coagula.
Inconſtans tegimen! Vix *Pyroëntibus*
Provecte, inſinuas, *Phæbe*, merìdiem:
Velamen niveum diſperit, & ſuô
Squalet colluvies lutô.

17.

Cana nivis ſub vellere tellus
Ut latitat, quaſi tecta linô;
Hâc etiam ſe ſindone veſtit
Colluvies maleôlentis antri:
Stulta ſuperbia! Pallia tollit
Sol mediô ſpatians Olympô;
Paulatim decor omnis in atram
Degenerat ſtabuli mephitim.

18.

Aula *porrectis* aliquando votis
Jam placatior annuet;

*Riſerat* Princeps. Etiam ſimetum
Velatum nive candicat.
Sunt *Negativæ* Procerum Libelli
Riſus *ſupplicis* indices:
Nempe ſic *Pæon* pilulas *inaurat;*
Nè vel guttur amaricent.

19.

Fallitur, obryzum qui ſplendida crederet aurum;
Dat pretium rebus gratia nulla foris.
Algida dum niveô tegit omnia tegmine bruma;
Sub candore nivis ſæpe cloaca putret.
Vile decus, paucis candor durabilis horis;
Difflatâ, ſupereſt, erubuiſſe nive.
Vix etenim medium metitur *Cynthius* axem;
Cænoſum *calidâ* detegit arte probrum.

20.

Reſerans *Jänus* annum, tegit undique nivibus
Plana, excelſa, profunda:
Sub eo ſimul theatro tumet, obde, graveolens
Nares, tætor oleti:
Sed amænitatis Icon radians nive modicâ,
Tandem ſidit in *atro;*
Spoliata dum nivoſis rediit tegiminibus
Primum ad Turpe *venuſtas.*

21.

Errat, ſub nivium ditia qui tegi
Ornamenta putet ſindone; bulliunt
Subtùs *ſæpe* latrinæ,
Non *ſemper* Viridaria.
Vix altus mediam Sol peragit diem,
In ſordes tegimen diffluit algidum;

Ab-

Abſtractâ *pudefiet*
Faſtus cyclade non ſuâ.

22.

Illud haud eſt omne pulchrum,
Quod forinſecus niteſcit;
Putidum ſecùs fimetum
Sub nivis candore torpens diceres, *pulcherrimum*:
Attamen ſuperbit iſtô
Palliô ſentina *tecta*:
Solis ardor donec omnem
Veſtis *exuat* nitorem, & turpitudo pareat.

23.

Septemtrionis ſtiriâ rigens mentum,
Efflavit ore frigidô nives Corus,
Et texit albô vellere algidos campos;
Viridémque fagi verticem, & cedri frondem
Aſperſit iſtâ candicante picturâ;
Sub qua *ſuperbit* putrida veſte ſentina:
*Patella* quaſi ſit hôc operculô digna.
Sed fœditatem, vah! *Meridies* pandet.

# VI.

Unter dem Schnee, wann er alles bedeket,
Offt auch ein ſtinkender Miſt-Hauffen ſteket:
Aber die Bosheit in Schande beſtehet,
Wann von der Sonne der Mantel zergehet.

# VII.

*Neque ſplendida durant.*



Ut Vitrum ſubitô alliſu frangitur,
Dum forſan manibus incautè tangitur:
Sic planè corruit inconſtans Vanitas,
Abit in Nihilum Mundi Inanitas.

# VII.

## *Neque ſplendida durant.*

I.

Crateres vitrei, cryſtallina vaſcula, conchæ,
Franguntur, digitô præcipitante, ſimul.
Non aliter vanæ cadit omnis pompa Voluptæ;
Cur caſu, quæris conteritur? *Vitrea* eſt.

2.

Scyphi, patellæ vitreæ,
Cryſtallinæque conchæ,
Excuſſa caſu dextera,
In fruſta conteruntur:
Sic, ſic Voluptæ Vanitas
Cum vaniore pompa
Attrita nutat, frangitur
In mille, mille partes.

3.

Pone cryſtalli cyathos, & omne,
*Pollio*, vitri pretium; Quid artis
Monſtra miraris? Facili vitrellum
Frangitur ictu.
Splendicans Mundi trabeata faſtu
Vanitas offert *vitreos* honores;
Tolle, rumpuntur ſimulacra, nam ſunt
Vitrea, Famæ.

4.

Vitra ſpectas? O! ſtupenda
Artis, inquis, machina!

Volve lævâ, volve dextrâ
Volve cautè, ſedulè.
Excidit? Fatale! Fractum eſt;
Reſtat ingemiſcere.
Sortis iſta ſunt bravia,
Digna riſu, vitrea.

5.

Abacô repone vitreos, Puer, ſcyphos,
Tornatili nixos pede.
His junge phialas, & paris cyathos vitri
Turre coopertos conicâ.
Quàm gratiosè *Veneta* cryſtallus nitet!
Colliſa porrô frangitur.
Hæc Vanitatem ſors manet; Splendet: Vitri
Fragilis ſed inſtar, rumpitur.

6.

Quid teretes cyathos, & quid miracula vitri
Lucida laude vehis?
Cryſtalli pretium eſt; manibus titubantibus, eheu!
Frangitur omne Vitrum.
Circeæ pariter pereunt pretioſa Voluptæ,
Sorte rotante globum;
Sic Mundi fragilis vaniſſima pompa fatiſcit,
Pompula nixa vitro.

7.

Calices, vitreæque patellæ
Cryſtallinorum vaſa poculorum,
Ut ùt pretioſa coruſcent,
Collapſa, nam ſunt vitra, diſſipantur.
Ità magnificentia mundi
Se palpat, inflat, mulcet, & remulcet;

Donec

Donec labefacta repentè,
    Splendore turgens vitreô, fatiſcat.

8.

Te miracula vitrea,
    Te divina rapit machina Chosroæ;
Te cryſtallina pocula!
    Cauté tange vitrum: nam citò frangitur
Alliſum malè: Sic quoque
    Dum ſplendet, perit evanida Vanitas.
Nec miror; quia vitreæ
    Moles tota baſi inſiſtit *ad interim.*

9.

Franguntur hydriæ, & urcei è gleba Sami:
    Quidnî de maſſa debiliore, vitra?
Cryſtallus inter aureos fulget cados:
    Liberiùs vetulum fugitur inde merum.
In vaſe ſplendet lucido *botrus* Cypri:
    Excidit. Heu! Vitri ſpargitur uſus humi.
Pretium perivit omne, *momento:* pari
    Sorte, metu citiùs, Gloria vana *crepat.*

10.

Pretioſa *Pollionis*
Vitra pone, poculique
Variam, Miniſter, artem,
Cave, duriter prehendas;
Fragile eſt, Amice, vitrum,
Ità vana pompa mundi
Pariter nitet; ſed unus
Decus omne *caſus* aufert.

11.

Vitrea vaſa, Scyphi, pateræ, ſortesque micantûm
Diverſæ calicum; pellucida pocula mirô,

Plura

Plura nitore micant. Digitô trepidante, caveto,
*Nè titubes* : elapſa manu cryſtallina pelvis
Diſſipat omne decus. Simili ratione, quod orbem
Clarificat pretiô, moles ùt ahenea, ſplendet;
Tam dubiâ ſtabilita baſi, quam fortè caducè
Pendula ſi vacuô *fundetur* in aëre Turris.

12.

Portenta glabri quem rapiunt vitri
Decora multô Vaſa topaziô;
Rumpuntur impulſu perinde,
Quippe bonum fragile eſt, caducô.
Hôc more vani gloria ſæculi
Paſſim coruſcis ſplendet ineptiis:
*Eliſa* momentô labaſcit,
Fragminibus per inane ſparſis.

13.

Vitrorum fragilis nitet ſupellex,
Cryſtalli patinæ, Scyphi rotundi,
Tornati calices. Sed, ah! Inane!
Lapſu frangirur univerſa moles.
Cum vitris quoque vana Celſitudo
Mundi conteritur : gradus honorum
Nullos eximo, ſive dignitatum;
His durabilius quid ergo? *Vitrum.*

14.

Cryſtalli fabricas, plaſmata vitri
Laude ſublimi vehit æſtimator:
Lapſu diſſiliunt : Collige partes
Fragminum, ſi vis, pretioſiorum.
Ingentem pariter clara ſtuporem
Vanitas cauſat, ſpecie decori:

Splen-

Splendeſcit *modicâ* luce, ſupinô
*Rumpitur* caſu citò, more Vitri.

15.

Micat expolita Vitri
Claritate machina,
Sed humì caduca lapſu
Derepentè frangitur:
Etiam nitore fulget
Celſitudo Sæculi,
Trepidô figura plauſu
Vanitatis interit.

16.

Cælatura Vitri, quam velut Artifex
Arctoâ glacie bruma coagulat,
Lucens in cyathis protinus alite
Lapſu excuſſa manu perit.
Confer curta vitri conditionibus
Fluxæ gloriolæ gaudia; qualitas
Splendoris vitrea eſt; *eminet*; aſt locô
Deturbabilis *occidit*.

17.

Perſpicui cryſtallina vitri
Vaſa, Scyphi, cyathi, patellæ,
Inter ſe colliſa, repentè
*Proſtituunt* pretium valoris!
Non aliter Jactantia Mundi
Grandiſonô reſupina lapſu
Rumpitur, & pompoſa venuſtas
In tenues abit icta partes.

18.

Hem! Quid obtrudis vitreas patellas?
Quid cryſtallina pocula?

Artis

Artis & ſplendor, pretiúmque lapſu
Si diffringitur unicô?
Firmitas hæc eſt, ô! inane! Sortis,
Mundanæque Volupiæ;
Gloriæ paucis vitra jactat horis:
Caſu *machina* rumpitur.

19.

Ardet ſubtili cryſtallina machina cælô,
Spectantûmque oculos vitrea pompa rapit.
Heûs! Cave; nè manibus vas excidat: illico tollent
Splendorem totô fragmina ſparſa ſolô.
I, pete mundani, Juvenis, ſplendoris amores,
Et vitæ rutilis deliciare bonis:
Vitrea ſunt, non fide, vafræ phantasmata ſortis;
*Fallunt* incautam vitrea *dona* manum.

20.

Pretium loca vitrorum breve, *Pollio*, cyathos,
Et portenta Scyphorum:
Recreat vagos ſupellex fabra *Cæſaris* oculos;
O! Cryſtallina Pompa!
Cave; Verna nè lacertô malè cautus arietans
Ictu diſſipet unô.
Oculi volante nictu quatitur ſua, veluti
Vitrum, Gloria Mundi.

21.

Cryſtalli Venetæ ſplendida Vaſcula,
Vitri congeries mira *Boëmici;*
Puri vaſa nitoris
Diffringuntur, ùt excidunt.
Vani non aliter gloria Sæculi
Pellucet tepidis clara nitoribus;

Mox

Mox eliſa, *minutim*
Calcatur; quia vitrea.

22.

Vitra jactas, & vitrorum
Evehis cryſtallinorum
Omniformem claritatem;
Excidat manu: ſupremùm rupta *tinnit* claritas:
Non minùs periclitatur
Vana ſæcli celſitudo:
Manè ſplendet, Occidente
Sole, porrò diſſipatur, ùt vitri *miraculum*.

23.

Speculare vivô fulget, en, vitrum argentô,
Suumque timidæ plaſma vaſa cryſtalli
Contentioſis graviter *increpant* buccis.
Sed hæc in uno Verna forte momento
Colliſa, ſpoliat claritate nativâ.
Hoc eſt ſerenæ Vanitatis exemplum,
Ritu vitrorum ſplendicantis in mundo
Dominatur. Eja! Mox ſuô interit *lapſu*.

# VII.

Gläſer und Schaalen, von ſchönen Cryſtallen
Werden zerbrochen; ſo bald ſie entfallen.
Alſo wird eytele Hoheit erniedert,
Gläſerne Eytelkeit gähling zergliedert.

VIII.

# VERTUMNUS

## VIII.

*Quondam ſolidiſſima ſidunt.*



Paulatim corruunt Arcus marmorei,
Franguntur etiam Coloſſi ærei:
Geſtorum ſeries petris inſeritur;
Sed fama Nominis tandem exteritur.

# VIII.

## *Quondam ſolidiſſima ſidunt.*

I.

*Pyramidum* moles, conflati ex ære *Coloſſi*,
Et *Mauſolei* culmina, pulvis erunt:
Geſtáque Victorum chalybi incælata, petrisque
*Comminuens* olim marmora, tempus *edet*.

2.

Arcus triumphis utiles,
Et æreæ columnæ,
Hòc integræ ſtant ſæculô,
Fors alterô labaſcent.
Inciſa geſta marmori
Vel *Cæſaris*, vel *Anci*,
Et ſcuta Tempus *exedet*
Edentulum *Camilli*.

3.

Gaudet Ægyptus, poſuiſſe quondam;
Luget Ægyptus, cecidiſſe rurſum
Turrium moles, ſolitas ferire
Vertice nubes.
Fruſta lapſuræ, fabricæ loquuntur
Robur; & traxit vitium: Columnas
Succutit terræ, Poſitore, motus
*Hercule* claras.

4.

Vitra rumpi nemo, nullus
Diffitetur hydrias;

Sed,

Sed, quòd Arcus ære fuſi,
Et columnæ corruant:
Miror: & tamen columnas
Herculis deglutiit
Mota tellus, *portuoſis*
Ingerendo faucibus.

5.

Et ahena ſidunt; quod ſuô caſu probant,
Tua vaſta, *Memphi*, mœnia:
Niſi jam probâſſet antè ſub portu *Rhodi*
Ruina *Solaris* Viri.
Portenta in ære ſculpta facinorum lege,
Majora communi fide.
Extrita *muſcus* obtegit vocabula:
Nec Fama novit *Nomina*.

6.

Roma triumphales olim porrexerat Arcus,
Robore Roma potens:
Aere Corinthiacô Rhodus egit in alta *Coloſſum*;
Proh! Simulacra Viri!
Procumbunt Arcus, & Solis *Imago* labaſcit:
Amphitheatra ruunt.
Bellica *Pompeji*, *Mariique* trophæa guloſum
Tempus adeſa *vorat*.

7.

Obeliſcus, Olympica moles
Et Aſtra lambens Pyramis *Canopi*,
Rhodióque ſub æthere monſtrum
Et artis ingens, & fuit laboris.
Fuit? Ergo ruina redegit
Excelſa partes molis in minutas?

Dubi-

Dubitáſne ? *Redegit ;* & *Autor*
Neſcitur iſthanc in diem. Dolendum!

8.

Arcus Amphitheatricos
Jactas, Roma, baſi marmoreâ ſitos,
Et molem Statuariam,
Ceu nunquam pluviis attenuabilem.
At ! Miracula *Dædali*
Abſumit caries ; & gula Temporum
*Depaſcet* Titulos , Domûs
Stirpem, Stemma, genus, nomen, Imagines.

9.

Ergo vetuſtæ gloriæ Arcus corruunt,
Tam , *Trajane*, tui ; quam , *Tite* magne , Tui?
Sidunt Columnæ Gadibus fixæ *Herculis ;*
*Mauſoli* moles , *Pyramidumque* labat.
Inſculpſit æri generis antiqui notas
Scalprô *Praxitelis* Fama ; fuêre notæ.
Tituli , parerga Nominum , Ceræ, genus ;
Stemmatis, Annorum *blatta, voravit* opus.

10.

Strue , Vanitas, trophæis
Obeliſcum implicatum.
Hodie ſuas columnas
Baſis irretorta fulcit ;
Sed adeſa cras labantes
Trahet in gravem ruinam,
Tumulanda cum columnis.
*Cinis* , & futura *pulvis.*

11.

Grandia ſubſidunt operum : nec *Ionica* conſtant
Pegmata , nec *Pharia* , *Gaditanaque* Columnæ :

Nec

Nec *Rhodii* ſimulacra viri; cum tempore planam
Procidnis labuntur, humum plauſura, ruinis,
In Cineres reditura brevì. Moroſa vetuſtas
Ætatum, petris inciſa trophæa, notásque
Illuſtris Ceræ, Tritavûmque inſignia, celſi
Proſapiem generis, tabulis *expungit* ahenis.

12.

Momenta vanæ publica gloriæ,
Miraris Arcus, atque Cylindricos
Cippos Columnarum, æmulantes
Gadibus impoſitos Coloſſos?
Momenta; Sanè: Fortia diruit
Ætas, & arctô celſa cacumine
Proſternit: ævúmque in puſillas
Saxa *reſolvit*, & Æs arenas.

13.

Uncis marmora Vanitas ahenis
Compingens ſtruit architecta ſummæ
Molis Pyramides; pares in agro
Fixis Memphitico: Perenne forſan
Fundatricis opus? Ruêre muri
Turriti Babylonicæ Novercæ;
Ergo poſthuma Temporum *tyrannis*
Magnatum titulis, notíſque *parcet*?

14.

Arcum, qui ſuperet Tempus, & ævum,
Vanitas firmis ſtabilit columnis,
Motura invidiam robore molis
*Cariæ* Regis tumuli Architecto.
Sed ſicut tumulum labilis ævi
Tarda *Mauſoli* ſepelivit ætas;

Sic

Sic opplens foveam fabrica grandem,
Diruta *è fundo* jacet in ſepulchro.

15.

Obeliſcus, & Coloſſus,
Memphióſque Pyramis,
Monumenta nuper Artis,
Corruêre funditùs.
Quod in æneas tabellas
Fama Nomen *Inachi*
Referebat: *exterebat*
Vah! Senecta Temporis.

16.

Senſim marmoreas Imber, & Æolus,
Impellente quidem Temporis invidi
Affrictu, & Tumulûm Pyramidalium
Motu ſuccutient baſes.
Fruſtra eſt, perpetuo condere nomini
Æratas tabulas. Hiſtoriam exteret
Præclari generis multa dies, Avûm
Deletura Numismata.

17.

Quos Babylone *Semiramis* Arcus
Barbaricô ſinuabat ære;
Quam *Thais* Memphitica molem
Pyramidum ſtatuebat olim:
Quem portu *Rhodus* inclyta fixit
Terribilem *ratibus* Coloſſum;
Defricuit variabile Tempus;
*Prodigioſa* fuêre; Non ſunt.

18.

Arcuum Tempus, gulo, turriumque,
Vaſtas Pyramides vorat:

Dente mordaci minuens Coloſſum,
Quem jactat Rhodus, æneum.
Marmori inciſos Pario triumphos
Ætas exterit invida;
Nomen obductum Senii lituris
Thebanum latet *Oedipum*.

## 19.

Amphitheatrales aliquando ſtetêre Columnæ,
Tandem ponderibus ſuccubuêre ſuis.
Nulla diu conſtant, quamvis miracula mundi;
Dic: quot erant? *Septem.* Sufficit illud: *Erant.*
Vana tamen ſolidis inſculpit gloria quadris
Singula proſapiæ nomina, geſta tuæ.
Illa *fuêre*; ſed hocce, quod exhibet illa, *metallum*
Olim cum generis Schemate, Pulvis *erit*.

## 20.

Flagrat ergo copioſis *Epheſina* Baſilica
Illuſtrata talentis?
Tremit ergo varicatis *Rhodienſe* poplitibus
Æneî plaſma gigantis?
Ruit ergo *Cteſiphontis* ſolidiſſima fabrica,
Centum nixa Columnis?
Ruet ergo cum trophæis inarata celebribus
Vili gloria Saxo.

## 21.

*Trajani* potius quid fuit Arcubus!
Quid durabilius Culminibus *Titi*!
Diſrupêre Columnæ
Olim Gadibus incubæ.
Heroum ſeriem Praxitelis manu
Inciſam chalybi, geſtáque Temporum

Raſit

Raſit longa Vetuſtas,
Et conſumpſit edacitas.

22.

Nil ubique durat, ipſas
Tempus Herculis columnas,
Solis æneum Coloſſum
*Devoravit*, & quadratas vaſtitates Turrium;
Geſta Cæſarum tabellis
Ære fuſis dedicata, ar-
roſit ira Sæculorum:
Nominis *trabalis* ut nec prima *conſtet* Litera.

23.

Credámne conſtans ſortis eſſe momentum,
Nullíque ſubjacere turbini? Credam;
Siquis Columnas indicârit *Alcidis*,
Miraculoſa vel ſepulchra *Mauſoli*.
Vah! Cinere conteguntur. *Ergo*, non credam.
Lyſippiano Vanitas fricet ſcalprô
In ære Proavûm geſta, Nomen, & Ceras;
*Obliterabit* Tempus Æs veternoſum,

# VIII.

Bögen von Marmel, auch æhrine Saulen,
Brechen zu Trümmern, gar einſtens verfaulen:
Thaten der Helden in Stahel geætzet,
Wappen, und Titul das Alter auswetzet.

# IX.

*Non eſt genuina Venuſtas.*



Nonnullæ purpurâ genas illiniunt,
Et inſtar Veneris formâ ſuperbiunt:
Sputô deteritur fucata facies,
Pro vultu ſplendido apparet Macies.

IX.

# IX.

## *Non eſt genuina Venuſtas.*

1.

Sunt, quibus irradiat rubicundas purpura malas:
Quêisque nitet Paphiis Cypria forma roſis.
Fucatos modicô conſpergito flumine vultus;
Mox omnis procul eſt purpura, forma procul.

2.

Nonnulla vultus imbuit,
Genasque purpuriſsô:
Velut renata Cypriis
Venus rediſſet undis;
Aſperge, tenta, pauculis
Vultum, genásque guttis:
Videbis omnem protinus
Evanuiſſe formam.

3.

Sunt, quibus Poenô gena fulget oſtrô,
*Lydiæ* & *Phrynes*, *Glyceræ* & *Neæræ*,
Cypriæ tanquam Veneri ſuperbâ
Fronte ſecundæ:
Fucus inconſtans, medicamen oris
Fallit obtutus: & aquæ madore
Defluit vultûs decor, & venuſtas
Marcida languet.

4.

O! *Lycoris!* O! *Corinna!*
Tinge malas purpurâ;

Hinc glabret ceruſſa rugas,
Inde murex edolet.
Fallor ? An videris ipſa
Pulchritudo Cypria?
Tinge lymphâ ; tum ſtriatam
Æmulâre *Baucida.*

5.

Sunt , & quis eſſe perneget ? fucô genas
Mulcere doctæ , & purpurâ ,
Formámque genuinam oris & ſtibiô , & nitrô
Adulterare , Thaides.
*Helenam* Neæra fulgidis præfert genis ,
Aut ſiqua ſit venuſtior;
Aquæ at madore labia ſtillatim inquines ,
Malásque ; forma *evanuit.*

6.

Te calamiſtratis , *Cypariſſe* , coloribus orna ,
Murice tinge genas.
O ! bellam formam ! Paphiæ movet æmula bella
Bellus Adonis Heræ.
At cave ; nè pictas humectent flumina malas ,
Purpureásve roſas;
Ni caveas ; omnem facis evaneſcere formam ,
Quâ radiabat *Hylas.*

7.

Et murice tingere malas ,
Et rore Lydô *Dejanira* frontem
Gaudet , medicamine ſucci
Connifa bellam Cyprin æmulari :
Pæſtana roſaria vultu
Præfert ; ſed omnem , quô triumphat, oris
Picti,

Picti, fluviatilis *aufert*
Humoris, ohe! *Stilla* purpuriſſum.

8.

Tanquam frater Adonidis,
Aut ex aſſe deæ Cyprigenæ nepos,
Malas imbue purpurâ,
Hiſpanóque genas murice perline.
Non durabile munus eſt,
Vultus purpureus; radit & abluit
Formæ lilia cum roſis
Deſtillans tepidi guttula fluminis.

9.

Nulla eſt Puella, quæ venuſta non caſi,
*Auſtrias*, aut *Bavaris*, ſive *Bohemis*, amet,
Decore vultûs æmulis gilvæ, ſolent
Muricis indecores pingere rore genas.
Tunc forma geminis Cypriæ in malis ſedet;
Tunc videas *Helenen*, quæ fuit antè *Phylix*,
Brevis at venuſtas: Si vel *humectes* parum:
*Diluitur* tepidi forma madore vadi.

10.

Age! Tinge utramque malam,
Cypariſſe purpuriſſô;
Gena pulchra, bella mala,
Ganymediana forma!
Placet hæc Jovi venuſtas.
Sed aquâ, quod hortor unum,
Cave ſis, perunge frontem:
Cadit *uncta* pulchritudo.

11.

E ſpecioſarum numero cenſebimus illas,
Idaliô quæ rore genas, & lumina pingunt,

Cyprigenæ ſimiles; tamen his breve carmen in aurem
(*Forma bonum fragile eſt, perit aucta colore venuſtas*)
Ingeminare, licet Nam demus, ut aurea frontis
Atterat ora liquor; moriturum intercidet oſtrum,
Purpura palleſcet: Spoliabitur inclyta *Nais*
Et Paphiô vultûs, & Lydô frontis honore.

## 12.

Avara formæ *Lydia* ſuſtinet
Mendace frontem tingere murice:
Sic fota.ſolerter ſuperbit
Idaliô gena purpuriſsô.
At ſi tepenti, nunc referens *Cyprin*,
Non cauta malas Lydia balneô
Irroret; ementita totô
*Exteritur Venus* omnis ore.

## 13.

Fruſtra purpureô genas nitore,
Fruſtra murice tingis ora, fruſtra:
Res eſt labilis, omne frontis oſtrum:
Nec durabilis empta pulchritudo.
Os quamvis *Erycina* pingat: oris
Tincturam modicis fricato guttis;
Quantum dedecus! Occidit venuſtas:
I nunc, dic: Diuturna, *forma*, res eſt.

## 14.

Eſt, quæ ſic oculos illinit oſtrô,
Ut genas tritô ſtibiô coloret;
Tanquam ſi Cypriis nata ſub undis
Ad Paphi feſtas *Venus* iret aras;
Humecta modicô flumine malas,
Purpuræ tolles pretium genarum;

Et

Et quæ prætulerat *Thaida* vultu,
*Baucidos* rugas referet ſeniles.

15.

Croceô genas colore
*Ops* , & ora purpurat:
Helenam putes , vel ipſam
Provocare Cypriam.
Miniata forma malæ
Vix micat per horulam;
Ubi defricatur undâ,
*Pallet* oris Area.

16.

Commiſtum oſtriparô ſanguine muricis
Ceruſſæ ſtibium clarificat genam
Innuptæ *Aſteries* , Cypridis æmulæ,
Formâ cedere neſciæ.
Infelix pretium, quod mador humidi,
Ni ſtillantis aquæ , deterit aëris.
*Oenone*, ſpeculum conſule ; luridô
Rugis vultu *Hecubam* refers.

17.

Pingat *Hylas*, *Cypariſſus*, & *Atys*
Purpureô faciem colore,
Quâ niteant impubere vultu
Læviùs *Endymione* bellô:
Si modicô gena fonte lavetur
Idaliô muliebris oſtrô;
*Forma* genis, pallore ſecutô,
*Emoritur*, roſeisque malis.

18.

Criſpat & tornat *Galatea* cirrhos,
Extritis maculis genâ,

Ungit & malas ſtibiô, decori
Certans *Caſſiopeïæ*;
Si mador vultum gelidæ puſillus
Adlambat venerabilem;
Hiſceret larvâ ſtupefactus *Acis*:
Ohe! Ruſtica *Theſtylis*!

19.

Cur tibi, pulcher Hylas, impinguas murice frontem?
Cur pingit roſeas Cypria Flora genas?
Crede mihi; res eſt inconſtantiſſima, forma;
Sit licèt Idaliæ forma probata Deæ.
Si dubitas? Aqueis digitos immergito guttis,
Et modicô pictum fonte fricato decus.
Purpureæ cecidêre Roſæ. Te judice, vultum,
Quem permiſta roſis *lilia*, *pallor* habet.

20.

Aliquæ venuſtioris cupidæ oris, avidiùs
Vultum pumice radunt;
Helenæ, vel Incolenti Cypron, aut Paphon, habitu
Frontis conſimilandæ:
Madident liquore malas aqueô; gena ſtibiô
Ceruſſata ſeneſcet:
Et abhinc *Eliſa* vultu radians, erit odio,
Tanquam edentula *Baucis*.

21.

Sunt quædam, numerô non modicæ, genas
Doctæ balſaminâ tingere purpurâ;
Picti Schemate vultûs
Magnæ Cyprigenæ pares.
Infelix roſeæ Sors mulierculæ,
Si malas tepidô flumine laverit;

Eva-

Evaneſcit & oris,
Et frontis ſpurius decor.

22.

Ut ſuperba Thais inter
Æmulas ſibi puellas
Emicet decora vultu:
Imbuit colore malas, par decore Cypridi:
Pone criſtas, ô coacta
Pulchritudo! Te puſillæ
Gutta lymphæ tingat; ohe!
*Larva!* Totô bella fuci cedet ore gloria.

23.


Adeſto: Si non æmulô pudet cultu
*Lycomedis* inter filias venenare
Genas, *Achilles!* Barbula es *Venus* raſâ,
Quam ſpuma prægnans nuper in mari enixa eſt.
Quis in genis roſam, & liguſtra plantavit?
O! Bella forma! Præliô *Decennali*
Redimenda! Nutrix ah! bitumen inconſtans!
*Extergit* unô Pulchritudinem *ſputô*.

# IX.

Manche bemahlen mit Anſtrich die Wangen,
Wollen, truz Venus, mit Eytelkeit prangen:
Wann ſie ſich etwas mit Waſſer benetzet,
Seyn ſie der üppigen Schönheit entſetzet.

## X.

*Minimè diuturna Voluptas.*



Pavo Superbior in Volatilibus
Se jactat tumidè Caudæ coloribus:
Mox languent lumina pennati ſpeculi;
Ut pompa detumet fucati ſæculi.

# X.

## *Non eſt diuturna Voluptas.*

I.

Omnibus Altilibus ſe Pavo ſuperbiùs effert:
Dum ſpecie eſſe aliquid ſe putat, illa nihil.
At! Subitò pictas demiſsô Syrmate pennas
Condit; ùt & mundi ſplendida pompa ſuas.

2.

Germana Pavo plumeæ
Imago Vanitatis,
Se ceteris volucribus
Jactat venuſtiorem;
At ſyrma velox contrahit
Atrum intuens *cothurnum*:
Ut vela pompa Sæculi
Suò notata *Turpi*.

3.

Turgidus faſtu, tumidúsque vanæ
Gloriæ ventis, ait: Antecello
Ceteros ortu; ſuper elevatus
Ambulo nubes.
*Ambulas*? At ſi caput è præalta
Nube vertigo rotet, ut, ſuperbe
Pavo, lapſurus ferias caducô
Pondere terram?

4.

Stringe bellas, Pavo, ſtellas
Luminoſi ſyrmatis;

Faſtuosè te regyra
Inter omnes Alites:
Pande plumas, tolle criſtas
Splendidæ philautiæ;
Vah! Repentè pompa languet:
Vanitatis *ectypon*.

5.

Qui vult inanis ſæculi ſuperbiæ
Vivam videre Copiam:
Videat decoris ſchema, Pavonem ſuo
Superbientem ſyrmate
Ut hoc figuret in rotam, ùt radiis micans
Auri colores evibret,
Oculósque rapiat. Ecce! monentô *occidit*
Imago pulchritudinis.

6.

Vibrat ùt auratas, ceû fulgida ſidera, plumas,
Syrmate Pavo tumet:
Pennarúmque orbes ſpeculi diducit in orbem
Verſicolore rotâ.
Nec mora: compoſuit *pudefacta* ſuperbia pennas
Ruſticitate pedum;
Ut brevium vanô *Macies inflata* tumore
Cornua ponit opum.

7.

Ut in illice Pavo tumeſcit
Colore pennæ cultior volucrûm:
Ità vanâ potentia jactat
Se principatu ceteris priorem;
Sed ùt ille coloris ocellos
Condendo, dici *deſinit* venuſtus:

Simili

Simili ratione Potentes
    Faſtu, eſſè quondam *deſinent* potentes.

8.

Pennis multicoloribus
    Pictum Pavo rotans ſyrma, volucribus
Cunctis pulchrior eminet;
    Ut ſtellis oculos aſſociabiles
Circumgyrat Olympicè;
    Tam jactans *modicô* tempore plumeam
Faſtu principe gloriam:
    Mundi quàm *modicè* Pompa ſuperbiat.

9.

Pulcherrimarum Syrma pennarum rotans
    Inter plumigeras Pavo ſuperbit Aves.
Vidit tot oculis *Argus* aliquando, vibrat
    Quot pictos variô cauda colore globos.
Majeſtuosô ſtrepitat inceſſu: at, pedum,
    Fama eſt, reſpiciens horrida, ſyrma plicat.
O! Singulare Vanitatis ectypon!
    Faſtu *manè* tumet, *Veſpere* pompa cadit.

10.

Lege ſacra, vel profana,
Habet omnis hoc Ruina.
Priùs extulit ſuperbos
Diadema, quàm ſupinos
Ad iniqua ſortis egit.
*Nioben* adorno teſtem,
*Babyloniùmque* Regem.
Age! Pavo, pone criſtas.

11.

Non eſt apta magìs, neque convenientior unquam,
Præ faſtu genii cuncta aſpernantis, Imago,

Quàm

Quàm ſit Pavonis plumarum ſorte ſuperbi,
Syrmáque ſtelliferum ſphærale rotantis in orbem!
Ructat ùt inflatô pulmonum folle tumorem.
Parva mora eſt, & ſyrma cadit. Sic nempe Voluptæ
Detumet exhauſtô *buccoſa* ſuperbia luxu:
Rumpitur aut nimiô diſtenta *philautia* typhò.

12.

Pavo venuſtas Altilium gregis,
Princeps Volantûm gloria, ſyrmatis
Incedit expanſô rotatu
Per medias Avium phalanges,
Formâ ſuperbus Sed pedis intuens
Abſurda, caudæ ſidera ſubmovet;
Ut Vanitas faſtum remittit,
A proprio *reprehenſa* Turpi.

13.

Ales ſyrmate ſe ſonorus amplô
Inter miſcuit *oſcines* volucres.
Defert magnifico hoſpiti canendi
Primam comè vicem ſagax *Aedon*.
Is tam *mente* ſuperbus, ac *colore*
Pennarum, ſinuante cæpit oden
E Collo *crocitare*. Vah! Choræ dis
*Splenem* movit ad usque Pavo *rarim*.

14.

Sors formam tumidi pectoris offert,
In Magiſtratu *Beliſariano*:
Fortunæ gremiô nuper abactus
*Oedipi* pauper ſubiit perîclum.
Vaſtator Lybicæ ſplendidus oræ
Vivit *obſcuram* ſine *pane* noctem.

Velat

Velat quando oculos Pavo colorum,
Luminum centum *exoculatur* Argus.

15.

Rotat in choro Volantûm
Pavo ſyrma ſtelleum,
Super omnium decorem
Solus hic venuſtior:
Pede turpis omniforme
Luminare contrahit;
Veluti proterva faſtum,
Ambitúmque Vanitas.

16.

Ut Pavo rotulis cum ſpecularibus
Gyrat per mediam *ſtriatulus* arcam,
Se cuivis tumidâ fronte Volatili
Præfert æquiparabilem;
Dum ſidant phaleræ ſyrmatis aureæ
Pennarum. Subitò Gloria ſæculi
Evaneſcit; *herì* lætitiâ vigens,
*Cras* plorat miſerabilis.

17.

Sic ait Extollentia Sæcli
Turgida multicolore faſtu:
*Non ſum*, ſicut cetera, nequam
Turba Hominum, *latro*, *fur*, *Adulter*:
O! Tumidæ jactantia mentis!
O! Temeraria vox! in imo
Cur Pavonem pectore nutris?
Velle tuas, *Phariſæe*, criſtas.

18.

Fronte centenos oculos ab Argi
Nuper diſſociabiles

Pavo

Pavo circumfert, nimiùm ſuperbus
Inter pennigerûm gregem.
Penna fulgeſcit; pedis at petulci
Squalet ſordibus *ocrea;*
Hinc coloratum decus, involucrô
Caudæ protinus *abditur.*

19.

*Angelus in penna, pede latro, voce Gehenna;*
Summa eſt elogii, Pavo ſuperbe, tui:
Eſtque tui, cur diſſimulem? Veſana Voluptas;
Conveniunt titulis hæc paradoxa tuis.
Angelicæ laqueas oculos habitudine formæ;
Furciter ùt captos latro decore ſeces.
Elandâ voce ſonas; ùt quondam in valle Gehennæ:
*Angele, Latro,* tuos nolo, *Gehenna*, jocos.

20.

Tumor, Ambitus, ſuperbæ duo mentis initia,
Vanæ laudis Alumni,
Humeris tulêre celſos ſtationis in apices
*Rufinum, Eutropiumque:*
Ubi gloriæ coruſcis micuêre radiolis
Paucis granditer annis;
Citò ſyrma donec effrons face Pavo minuerit
Majeſtatis abuſæ.

21.

Ut princeps cicurum Pavo volucrium
Diſtendens variis ſyrma coloribus
Majeſtate ſuperbit
Inter quaslibet Alites:
Momentô ſpeculi lumina contrahit,
Et caudæ radios. Nec mora: Vanitas

*Expor-*

*Experrecta* ſuperbè
Splendet, transmeat, *occidit.*

22.

*Cede vicò!* clamat olim
Lictor ante Conſularem
Apparatum; Pavo cunctas
Inter arrogat volucres Antegreſsûs ordinem:
Come pictis ſyrma pennis
Faſtuosô pandit orbe;
Porrò ſicut ampla mundi
Vanitas pompam, repentè *complicat* ſuperbiam.

23.

Paſcamus oculos. Digerit ſuas Pavo
Pennas in orbem. Video *plumeum* cœlum;
*Rotantur* Aſtra, circuli micant aurô,
Spargit coloris ſyrma fulgidum gemmas,
Radioſa ſpeculis decora ſe præſentant.
O! Bella facies! Sidera *ambulant*, motu
Geſtata *trepidô*. Ah! Cum ſuis ruit ſtellis
Illuſtre *Cœlum*. Vanitatis *ô ludum!*

# X.

Ob zwar der Pfaw unterm G'flügel ſich ſpreitzet,
Und Ihm aus Hoffart den Vorzug angeitzet:
Läſt er die federne Flügel doch fallen,
Gleichwie der Welt-Pracht ſein eyteles Prallen.

# HENDECASYLLABI
## PHALEUCII.

Adoleſcentia, & Voluptas vana ſunt. Eccl. 11. 10.

## DOGMA.

HÆc eſt *Lectio* prima pro *Juventa*
Cum Mundi petulante *Vanitate*
Declinare *Volupiam* volente:
*Noli fidere*; Decipit venuſta
Sub doni ſpecie: doloſa fallit
Arridendo, jocando, blandiendo.

*Luſum* provocat; ah! omitte Luſum,
Seu verſatilium *Latrunculorum*,
Seu damnabilium ſit *Alearum*;
Quàm Nummo malè fidis elocato:
Tunc, tunc, Aleo (teſſeræ memento)
Quando eſt vincere, *perdidiſſe*, vinces.

Hæc eſt Altera *Lectio* Juventæ
Fortunam cupidæ deoſculantem
A ſe pellere ſeriò reniſu:
*Noli fidere*; baſiat: chelydræ
Sed morſu labiis, ùt oſculatur,
Inſtillat, vice baſii, *cicutam*.

Declina ora *Volupiæ*, tametſi
Pellax annuat igneis ocellis;
Nutum neglige blandientis *Ætnæ*,
Algens *Empedocles*; retorque vultum,
Paſſum retrahe. *Dic*: Strigoſa Dipſas,
Hinc, hinc tollere! Gibba, blæſa, lippa es.

Hæc eſt Tertia *Lectio* Studenti
Ævo commemoranda, Vanitatis
Se Reti elaqueare cogitanti:

Noli

Jugend, und Wolluſt ſeynd eytel. Eccl. 11. 10.

# Eylff-Sylbiges Lehr-Stuk.

Die Erſte *Lehr* für zarte Schulen-*Jugend*,
So *Eytelkeit*, und *Wolluſt* denkt zu haſſen:
Der Welt zu Schimpff, zu Förderung der Tugend,
Læſt ſich in zwey bekannte Wort verfaſſen.
*Trau nicht!* Betrug iſt nur ihr Lach- und Schertzen;
Ihr Gunſt iſt falſch, ihr Lieb geht nit von Hertzen.

Es mag dich wohl zum *Spiel* die Erſte laden,
Am *Würffel-Bret* dir Zeit-Vertreib zu machen;
Nimm dich in acht: Sie wird zu deinem Schaden,
Wann du verliehrſt, ihr eins in Buſen lachen.
Sie ſpielt zu arg, und fährt dir durch die Sinnen:
Dann ziehest; wann, *verſpielen*, heiſſt, *gewinnen*.

Dem Erſten gleich der andre *Lehr-Satz* klinget,
Ach! öffne doch zur Warnung Ohr' und Augen;
*Trau nicht!* wann noch die Luſt ſo lieblich ſinget,
Ihr' holde Blik' uns zu beſtricken taugen;
Mit ihrem *Kuß*, gleich ſcharffen Schlangen-Biſſen,
Liebkoſend ſie *vergifftet* das Gewiſſen.

Weich' ab von ihr, nit achte freundlichs Winken;
Nit laſſe dir die Schmeicheley gefallen:
*Empedocles* aus Fürwitz mus verſinken
In *Ætnens* Pful verzehrt von Feuer-Wallen.
Du geh zuruk: nichts um ihr zärtlen frage;
Du wüſtes Thier! Troll dich von hinnen! ſage.

Der alles Ernſt ſich ſehnet zu entbinden
Von Eytelkeit, als freyer Künſten Ehrer,
Im dritten *Satz* wird Unterweiſung finden,

So

*Noli fidere :* Liberam paciſcens
Auram lætitiæ licentioſæ :
Captos *Pirithoi* ligat catenis.

Armillis , & inauribus coruſcos
Indens orbiculos catenularum
Aurô intexuit affabrè , & ſuperbis
Internodia *tuberoſa* gemmis.
Infelix , cave ! *Ferream* ſub Auri
Vives ambitione ſervitutem.

Hæc eſt *Lectio* Quarta ; tam ſeveras
Quàm mites recolentibus Camœnas
Inculcanda ſodalibus dietim:
*Noli fidere ; Vanitas* adornat
Cœnas *Attalicas* Fame ; paropſis
Fòrs *occultat* edulium *Thyeſtis.*

O ! quot *ſtrangulat* illa Verſipellis
Convivas ! *Hodierna* nempe Cœna
*Cras* morbum parit O quot Helluonum,
Alcidis *cyathô* potenter hauſtô
Inter fercula concidêre poti ,
Lucis non memores , ohe ! futuræ.

Hæc eſt Lectio Quinta , Literarum
Auditoribus , aut *Rhodi* , aut *Athenis*
Promulganda per omnium palæſtras:
*Noli fidere ;* Porrigit roſarum,
Ceu *Daphne* , calathos. Tenes ? acutus
Audaci *paliurus* hæret ungui.

Tunc mæſtos gemitus , & ejulatus,
At *ſerò* , ciet Æger. Ante plagam
Qui vulnus cavet , hic ſapit ; *Juventa!*

Exem-

So heiſſt: *Trau nicht* der Welt, als falſchen Lehrer;
Sie will dich heunt zwar los und ledig geben,
Muſt morgen noch in Gfængnus-Banden leben.

Sie ſchmidet zwar Hals-Arm-und Bruſt-Geſchmeide,
Mit Edelgſtein Gold-reich-beſetzte *Ketten;*
Unſchætzbar iſt der Glantz, als Augen-Weyde,
Nur auf Betrug geſchraubt; will mit dir wetten;
Schnapſt nach dem Preys? bleibſt an dem *Angel* hangen;
Am Ketten-Gold, als *Ruder-Knecht*, gefangen.

Die Vierte *Lehr* ſoll Wænde, Mænr und Thüren
Im Schul-Palaſt mit Gold Farb angeſchrieben
Zum Unterricht von inn-und auſſen zieren:
*Trau nicht!* Sie lügt; nur Haſſen, iſt ihr Lieben;
*Dekt* zwar den Tiſch; doch ſtatt der Lecker-Biſſel,
*T'yeſtens* Tracht ligt in *veraekter* Schüſſel.

Wieviel hat ſie von dero Tafel-Gæſten (ten
Am Tiſch *erwurgt!* Mit frembd und theuren Trach-
Voll auf! *Heunt:* gleich die einen Ochſen mæſten,
Den *Morgen* ſoll das Metzger-Beile ſchlachten:
Viel, viel, da ſie ſich toll und voll getrunken,
Seynd Augenbliks entſeelt dahin geſunken.

Es laſſe ſich das Fünffte *Lehr Stuk* hœren,
Berühmt ſowohl bey den'n *Athenienſern*,
Wo *Plato* Ruhm erjagt durch Weisheit-Lehren,
Als etwann auch bey denen *Rhodienſern*,
*Trau nicht!* heiſſt es; Sie reicht, als *Daphne*, Roſen,
Doch ſticht der *Dorn* im wehrenden Liebkoſen

Dann folget Ach! Und hærbes Weh-Geheule;
Doch viel *zu ſpat;* blutrüſtig gient die Wunde;
Eh man verletzt vom ſchnellen Arm-Bruſt-Pfeile,

Noch

Exemplô ſape tam frequente poſthac
Saltem doctior. Exterô periclô,
Qui *labi* timet ; eſt ſat *eruditus*.

Hæc eſt *Lectio* Sexta tam profano
Quàm ſacro ſocialibus *Lyceo*
Odiſſe incipientibus Voluptam :
*Noli fidere* ; *Mandanen* amicâ
Mentitur facie ; ſed, heu ! Videbis
Inſanâ magè *Tulliâ* furentem.

*Dianam* ſimulat ; ſed & *Minervam*
Moris Virginei. Nitore miſsô,
Vitam *Cypridis* impudica vivit
Inter libera pronubos *Lupercos*,
*Thais* turpiloquô bilinguis ore.
Ergo *Palladis* æmulare mores.

Hæc eſt Septima *Lectio*, Minervâ
Dictatrice, piæ in bonum *Juventæ*
Immiſcenda *parœmiis* Scholarum:
*Noli fidere* ; *Mel* Volupta miſcet
In potum : cave, nè maligna *Circe*
Inſpergat fariale virus *Hydræ*.

Hæc eſt *Lectio* Summa Lectionum,
Pravæ Ludicra, perſpicax *Juventus*,
Tintinnabula temne *Vanitatis*:
*Noli fidere* ; Si rubeſcat oſtrô:
*Noli fidere* ; Si coruſcet aurô:
*Noli fidere* : Tota nempe *Fraus* eſt.

Noch weit vom Schus, in gutem Wohlſeyn ſtunde;
Behutſamkeit noth ware : Nach der Schmarren,
Sich *Harniſchen* ; iſt Tollheit eines *Narren*.

Den Warnungs-*Spruch* dir Sechſtens laſs' einreimen,
Der dich ergibſt gelehrten Schul-Geſætzen;
Wann Eytelkeit dich ziert mit Lorbeer-Baümen:
*Trau nicht* ! Es iſt verſchimpffen, ihr Ergœtzen;
Du glaubſt, ſie ſey ganz durch und durch begütet,
Nicht grimmiger ein' *Hœllen-Fury* wütet.


Nur auf den Schein ſie ſich als *Göttin* zeiget
Der Mildigkeit, und unverſehrter Sitten;
Sie tantzet, wo man *Buhler*-Lieder geiget;
Ja læſt ſich ſehn in jeder *Laſter*-Hütten;
Gieſt Schand-Wort aus mit *unverſchæmter* Zungen,
Zur Ærgernus der Alten, und der Jungen.

*Minerva* ſelbſt, Hoch-Edler Jugend Wonne,
Und Glori, will; das unter weiſen *Sprüchen*,
Die Warnungs-Lehr, der hellen Tages Sonne,
Da jene nur den Sternen, ſey verglichen;
*Trau nicht* ! Ob ſchon werd' *Hœnig* eingeſchenket;
Mit *Drachen-Schaum* dich etwann *Circe* trænket.

Nun laſſe dir, ô *Jünglingſchafft*, aus allen
Der *Eytelkeit* entgegnen Schul-Geſætzen
Zur Sitten-Lehr, *Behutſamkeit* gefallen.
*Trau nicht* ! Sie will dich ins Verderben ſetzen:
*Trau nicht* ! Ob ſchon ſie pfeilet holde Blicke;
Iſt doch an Ihr nur Falſchheit, *Liſt* und Dücke.

# XI.

*Demum Calvaria reſtat.*



Colores aquei ornant Imaginem,
Pictura ſolvitur in turpitudinem:
Tunc Regum capita, Venuſtæ Veneres
Fiunt Calvariæ, mortisque cineres.

# XI.

## *Demum Calvaria reſtat.*

I.

Quando aqueò tantum permiſces rore colores,
Humida Pictoris Spongia delet opus.
Regia tunc Capita, & *Martis*, Venerisque nepotes,
Non niſi funereæ portio *Mortis* erunt.

2.

Si Cous omnes Artifex,
Aquis paret colores,
Delebit uda ſpongia
Pictorium laborem:
Reges, Dynaſtæ, Principes,
Venuſtulæque nymphæ,
Tunc induunt Calvarias,
Pro clariore vultu.

3.

Pictor infectis oleò figuris
Funerum larvas referentibus, qui
Deſuper ſignat (ſed aquâ colore
Simplice miſtô)
Principum vittas, diadema Regum,
Cæſarum lauros. Refricetur Icon;
Uda nil ſiſtet, niſi mortuales
Spongia calvas.

4.

Huc Nealcis penicille,
Huc Apellis linea!

Pingat hic, vel ille *Ledam*,
Tot malorum fomitem.
O! Amores! O! Lepores!
Gratiarum ſchemata!
Humidâ rades aquoſos
Hos colores ſpongiâ.

5.

Quis iſte Caſus? Spongiâ extrivit levi
Tot *Zeuxis* Heroum Iconas.
Non *Mithridati*, non *Alexandro*, aut *Numæ*,
*Cyro*, *Jubæve* parcitur.
Unde hoc? Colori miſcuit fontem artifex;
At ſubtùs oleæ lacrymas;
Hinc Cæſar, & Rex: *Cypris*, ac *Helene*, Caput
In *Mortuale* deſinunt.

6.

Siqua tuos capiunt oculos portenta colorum;
Plurima Zeuxis habet.
Annuis; at, neſcis; quòd ſpongia aquata Tabellæ
Deterat omne decus?
Cæſareus vertex, tumidæ diademate frontes,
Et Cytherea Venus
Fulgorem perdunt: *Ignis* mutatur in *Umbram*:
Splendida *funus olent*.

7.

Oleagineô ſimulacra
Colore mortis lineans Apelles
Supereffigiet; ſed aquoſô
Humore Regum, aut Cæſarum figuras.
Spectacula triſtia! Tactu
Vaneſcit omnis ſpongiæ apparatus:

Et

Et frons *redimita* coronâ
Extrita, paret *Calva* Mortualis.

8.

Commiſcere coloribus
Si vult Pictor aquam; miſceat: Attamen
Hoc nec *Protogenes* negat;
Quin Pictoris opus ſpongia deleat.
Præſentet Tabula inclytæ
Vultus *Hypſipiles*, aut *Lacedæmonum*
Formoſam *Paridis* nurum;
Squalet grande decus *mortis* imagine.

9.

Qui penicillum navus humore imbuit,
Deſignans Capitum Schemata, Pictor aquæ.
In triſte terſis Iconum coloribus,
En! Metamorphoſin! Calvæ abiêre cavum.
Sic faſtuoſa ſæculi formoſitas
Bella colore rubet, compta decore micat.
Oculi ſub ictu *variat* inconſtans nitor;
Dum *velat* roſeas pallida *larva* genas.

10.

Et *Apellis*, & *Nealcis*
In Imaginis figura,
Ubi præparatur undâ
Color, Ars fatiſcit omnis.
*Helenam* licèt Tabella
Referat, vel orbe Regem
Memorabilem ſubactô.
*Caput*, ecce! *Mortuale*.

11.

Pictorum Princeps, reſerato, *Coë*, tabernam:
Iconas inſpiciam. Quam pingis, cujus Imago eſt?

Hæc, ait, eſt *Helenæ* Menelaídos. Altera ponè
Cujus ? *Alexandri.* Quàm proxima ? Vatis *Homeri.*
Artis inoccıduæ ſpecimen ! ſed, aquoſa Tabellæ
Spongia picturas tergens, exterminat unà
Effigiantis *Apellis* opus : próque illice vultûs
Schemate *Caſſiopes*, *Hecubæ* Calvaria ſqualet.

## 12.

Impendioſâ *Parrhaſii* manu
Hac in tabella *Cæſar*, in altera
*Auguſtus*; Hâc *Pompejus*, illâ
*Tyndaris*, *Heſioneque* proſtant.
Udâ tabellas attere ſpongiâ;
Pictura cedet. Subtùs Imagine
Emortui contagioſam
*Alcinoi* referente *Calvam*.

## 13.

Pictorum facilè omnium corona,
Zeuxes, pingito Cypriam tabellam,
Tali conditione, non olivæ
Succô ; at flumine miſceas colores.
Quô miracula ? Vanuére ; delet
*Artem* ſpongia. Tunc corona, ſceptrum,
Majeſtas, decus, Aula, pompa, luxus,
*Mortis* definit ultimam in *figuram*.

## 14.

Pictor miſtô oleô quando colore
Cranium calvæ populare pingit;
Miſtô & rurſus aquæ deſuper almas
Lineat *Daphnes*, *Priamique* frontes :
Si ducat madidum ſpongia tractum
Per vadô tinctam leviter tabellam,

Ex-

Extritâ Priami *fronte*, Daphneſque,
*Oſſeas* calvas perhibebit *Icon.*

I5.

Aqueô colore ſiquas
Artifex Imagines
Vel Apellis, aut Nealcis
Penicillus edidit
Modicô figura tractu
Defricata ſpongiæ
Perit, Iconémque ſubtus
Calva paret oſſea.

I6.

Calvam Parrhaſii linea depilem
Mappæ ſuppoſuit primitus, & dein
Suprà, non olei, ſed fluidam vadi
Succô, *Xerxis* imaginem.
Icon indiciis inclyta regiis!
Quam ſi vel pueri ſpongia triverit
Affrictu, Effigies Regis in horridam
Calvæ tranſit *originem.*

I7.

Miſce oleô; Picturè, colorem;
Exanimem modò pinge calvam:
Deſuper, aſt è fonte, liquore
Sceptra, ducum galeas, corônas:
Splendet Imago; ſed humida tergat
Spongia, vel modicè terendo;
*Cæſar*, *Rex*, *Dux*, *Marchio*, *Princeps*,
In gelidam rediêre Calvam.

I8.

Error, an fraus ſit; Dirimat *Nealces*,
Expertiſſimus Arbiter:

Cur tot illuſtres pereant figuræ?
Summæ ſortis Imaginum?
Eſt Aquæ tantùm Color, inquit, humorem
Undæ ſpongia defricat;
Hinc *Alexandri*, & *Telamonis* Icon
Fit Calvaria. *Reſpice!*

## 19.

Huc operam, Princeps Pictorum, confer, *Apelles*,
Tu ſimul artifici da documenta manu.
Pinge tuas *Veneres*, & *Adonidas*, atque *Dianas*;
Pinge Duces, & quos Terra veretur, heros.
Pinge Deos, aqueô ſed pinge colore, Deasque;
Spongia divinæ deſtruet Artis opus.
Regia Majeſtas fugit, atque ſuperbia vultûs,
Fitque glabrum Mortis tota *tabella* caput.

## 20.

Verus Artifex Apelles quoties ſuper olei
Pictas rore tabellas
Aqueô Ducum mitras, & trabeas opere manûs
Taxatoribus offert:
Toties levi refrictu calamiſtra ſpeciminum,
Ut vult, ſpongia tergit:
Quid erit *Pelops*? Quid *Hector*? Quid *Hylas*? *Paris*? *Helene*?
Quam *Calvaria* demum?

## 21.

Zeuxes effigiem flumine temperans
Maſſam, non oleô, quà reſolubilem,
Preſſæ ſindonis orâ
Exturbabit aquaticâ.
Mutantur facies illico; Cæſaris,
Pompejive priùs quæ fuit, aut Titi:

*Evaneſcet* ; & ultro
Se Calvaria provehit.

22.

Quæ viciſſitudo ? Zeuxes
Spongiâ delevit omnes
Iconas : Nec *Andronico*,
Nec *Leonidæ* pepercit : nec *Jugurthæ*. nec *Numæ*:
Nempe frigidam colori
Miſcuit mox dèfricando;
Hinc Imago *Mithridatis*,
*Apis*, *Anci*, *Dyndimenes*, migrat in Calvarias.

23.


Diſcede, Velum; ut officina Pictoris
Pateſcat Orbi. Vanitas manu doctâ
Et penicillum verſat, & ſupra ſolers
Demortuarum capita *Larvarum*,
Aqueô colore vafra pingit, Heroas,
Reges, Toparchas, Virginúmque cultarum
Portenta. Madidas fonte ſpongiâ plenà?
Nihil *repræſentat* Tabella, quàm *Calvas*.

# XI.

Wo man die Farb nur mit Waſſer vermiſchet,
Werden die Bilder auf einmahl verwiſchet:
Kayſer und König', und zarteſte Frauen,
Laſſen ſich endlich, wie Toden-Köpff ſchauen.

# XII.

*Nihili vaniſſima Pompa.*



Sceptrum in manibus, Laurus in vertice,
Diverſa decora pro ſtatûs indice;
Si quærant avidè fumoſam gloriam,
Ludunt ſtultitiæ vanam Comœdiam.

XII.

# XII.

## *Nihili vaniſſima Pompa.*

I.

Inſerit hic manibus ſceptrum , Capiti ille tiaram ;
Hic fulget varia pro ratione ſtatûs.
Si , quoquô fulgent , pompam ſectantur inanem ;
Luditur , ah ! vani ſcenula vana chori.

2.

Hic ſceptra palmis inſerit,
Hic frontibus tiaras ;
Hic enſe ; gemmis, pro ſtatûs
Diverſitate fulget ;
Qui ſplendidis Inſignibus
Student placere Mundo :
Agunt inanem Fabulam
Scenámque Vanitatis.

3.

Huic riget ſceptrô manus, huic coronâ
Regius vertex, latus huic machærâ :
Hic, Magiſtrales quatiendo faſces ,
Summus habetur.
Si , niſi ut jactent monimenta faſtûs,
Turgeant grandes animis ; inanem
Fabulam ludunt ; ùt inordinatam
*Hiſtrio* ſcenam.

4.

Ut verenda turba prodit
Ferrô , & aurô fulgurans,

Bracteatus horror Orbis,
Purpurati Principes.
Flecte genva, pone thura,
Hæc adora Numina;
*Pomus* at quis afflat aras?
Quære; Pompa *vanuit*.

5.

Pomona, honorum ſumma moderatrix, ſuos
Pullos theatrô publicô
Producit, aptis delineatos notis.
Viden' *Coronam*? Eſt *Cæſaris*.
Ducale *Sceptrum*? *Scipionis* eſt. Mitram
*Tyrannicam*? Eſt *Ablavii*.
Sed quotquot horum Vanitati militant;
Riſu fricantur *Comicô*.

6.

Imperat hic latè ſceptróque oſtróque ſuperbus
Rex ditione potens.
Hic medio dictat ſapientia jura Popello:
Martis hic arva terit.
Quem ſua ſors faſtu ſupra ſe tollit inani,
Cornigerúmque facit:
Hiſtrio *ridiculus* captat ludibria, ſcenâ
*Vanior* ipſe ſuâ.

7.

Aureô diademate fulgent,
Sceptróque Reges: enſe Martiali
Trux Belligerator, Enyûs
Sub auſpicatu, & caſſide ære fusâ.
At, ſiquis inaniter uſus
Hæc ſigna portet mente faſtuosâ:

*Tra-*

*Tragicæ* nova *Fabula* Scenæ,
*Ridenda*, Mundi *prodit* in theatro.

8.

Frons, cujus diademate,
Sceptrô dextra, humeri torquibus, & latus
Herois riget enſibus:
E vulgi numero creditur eximi:
At! qui gaudet inanibus
Extolli titulis: Stultitiæ improbam
Orcheſtram reſerat ſuæ;
Dignus ridiculæ nomine Fabulæ.

9.

Hoc faſtus Orbis fulget è *Cippo*: elige,
Quô placet, officii glorificêre typô.
Fortuna Regum ſi choro te immiſcuit;
Sceptra manum decorent, & diadema caput.
Si Martiali Victor è campo redis;
Utraque quæ religet tempora, laurus erit.
Si *Vanitati* militent faſces; iis
Clari, Perſonas *Ardelionis* agunt.

10.

Diadema, ſerta, lauri,
Cidarisque, faſciæque
Decorant ducale tempus
Domini Orbis *Utriusque*
Orientis, Occidentis.
Malè qui ſuperbus autem
Data ſceptra jactat: Orbi
Jocus audit *Universo*.

11.

Hic gerit auguſtâ diademata regia fronte,
Hic vittam laurô redimit: micat ille tiarâ:

E 7 Faſci-

Faſcibus alter ovat; clypeô riget alter: ùt ille
Heroum galeâ ſpectatur, & ille machærâ.
His jactabundô ſi more ſuperbiat albæ
Sortis inanis honor, faſtu plebémque minorem
Calcet hyperbolicô; Scenam ſibi *Roſcius* implet,
Ludicra *vaniloqui* Fabella futura theatri.

## 12.

Spectandus aureâ Sceptriger infulâ,
Seu Competitor Regni *Halyattici*,
Seu Ductor Indorum *Phraates*,
Seu Numidûm Dominus *Jugurtha*.
Si, quà timendus, forte ſuperbiat
Regalis *Oeneûs* magnificentiæ;
Sub hácce Majeſtate *vendit*
Vana *crepundia* Ludionum.

## 13.

Et frontem diadema Regis ornat
Et ſceptrum decorat Ducale dextram;
Præmunit latus enſe Præliator,
Oſtentans clypeum, levéſque criſtas.
Hæc inſignia Plebis in favorem
Quiſquis jactat, inanitatis anceps,
Dat ſcenam furioſus in theatro,
Cujus, Nemo, *Synopſis* eſt, & *Actor*.

## 14.

Auguſtale rotat dextera Sceptrum,
Frons palatinâ radiat corona;
Pollet plumigerâ caſſide vertex,
Læva, munitur latus, enſe, ſcutô.
Qui ſignis brevium turget honorum
Dives, & vulgo petit eſſe major;

Ludit

Ludit ſtultitiæ Comicus aptam
Hiſtrio ſcenam; puta, Vanitatis.

15.

Caput aureum coronâ,
Dextra ſceptrô eburnea,
Latus enſe, læva ſcutô,
• Frons ahena caſſide
Rutilant inauguratè;
Sorte ſi ſuperbiant:
*Agitant* brevem *Typhoeì*,
*Icarive* Fabulam.

16.

Inter ſe titulis grandia diſcrepant,
Et ſignis pariter. Rex diademate
Illuſtris, trabeâ Cæſar, & infulâ;
Conſul faſcibus inclytus.
Si vanâ niteat ſorte ſuperbiens
Majeſtas, & Opes jactet inutili
Pompâ; *Cæſar* erit, quod jocularìæ
Scenæ *Roſcius* extitit.

17.

Ex ſigno Vir noſcitur; illi
E Cidari, & trabeis; & illi
E locupletis imagine Ceræ,
Faſcibus, enſe, mitrâ, galero,
Grandibus his inſignibus auſi
Intumuiſſe Viri per Orbem;
Dant ſpectâcla theatrica, quôvis
Ardelione profaniores.

18.

Dixit *Auguſtus*: Mea vita ſcena eſt:
*Egi ſi bene; Plaudite!*

Hoc

Hoc idem Mundi Proceres : Monarchæ
Sceptris, & diademate
Regiis clari : rigidique lumbos
Vaſtô *Martis* àcinace.
Hos manet plauſus ; Niſi Vanitatis
*Mimos* viliter egerint.

19.

Hunc Fortuna ſacris locupletat amica tiaris,
Hic habet à largis regia ſceptra diis.
Huícce Magiſtrales dat prodiga Copia faſces,
Hunc præ plebe alia ſplendidus ornat honor.
Qui tumidis animis inſignia tractat honorum,
Sumit & à claris cornua celſa bonis;
Quid ludit, vanæ quàm *ſcenæ ſomnia* ? Cujus
Ipſe Actor, ſeries, *Fabula*, ſcena, Jocus.

20.

Venit agmen *Inclytorum*. Hic patriæ pater : Alius
Laurô inſignis, Equeſtri
Præit ordini : machærâ hic Pugil, ille Decurio,
Alter Conſul habetur.
Sed inanitatis index fuerint ea decora,
Siquô turgida faſtu.
Cupidi pares videri ſuperis, levis humili
Fiunt *Fabula* vulgo.

21.

Illuſtris gravium teſſera munerum
Hôc cippô variis exprimitur Notis,
Fulgent ſceptra, coronæ,
Palmæ, laurus, Acinaces.
Si Rex Imperii ſede ſuperbiat
Incinctus trabeâ : Splendor inanium

Re-

Rerum eſt : atque *trophæum*
Vanæ figitur *aurulæ*.

22.

Hunc coronat Indus aurô
Regiâ virgâ decorum:
Alterum præmunit enſe
Caſſidis fulgore tectum Mars ahenæ ſinciput:
Magnus ille, clarus ille:
Cæſar ille, Crœſus ille:
Sortis albæ Candidatus,
Qui *ſupra ſeſe* elevatur: Ludit *Hiſtrioniam*.

23.

Juvat videri, & in theatro produci.
Eſt, Tranſeuntis, aliquid, Indice oſtendi:
Eſt aliquid, *hic eſt* ille Magnus, audire:
*Hic eſt*, tiarâ Perſicâ potens *Cyrus:*
*Darius hic eſt* Faſciâ inclytus *Meda*:
Utriusque Laureatus *Indiæ* effractor,
Et *fulmen orbis; hic, hic eſt Alexander.*
Sed, vah! deinceps, quis ſit ille? *Quærendum*.

# XII.

Cronen auf Häuptern, und Scepter in Hænden,
Allerley Rüſtung von allerley Stænden:
Wann ſie nach eyteler Herrlichkeit zielen,
Lauter Comœdi der Eytelkeit ſpielen.

XIII.

XIII.

*Et Nos regnavimus olim.*



Ut vitæ Lacheſis theatrum deſtruit;
Mox omnes veſtibus Actores exuit:
Relinquit lacrymas finis Comœdiæ,
Præludit funebri Clotho Tragædiæ.

XIII.

# XIII.

## *Et Nos regnavimus olim.*

I.

Dum vitæ tragicô claudetur fine theatrum,
Quilibet Actorum veſtibus orbus abit.
Vertitur in cineres totum, quod ſplenduit antè,
*Fabula* finita eſt, ſcenáque clauſa *tacet*.

2.

Dum ſcena mundi deſinit,
Et terminatur Actus;
Nudatur Actor veſtibus,
Aut Rex ſit, aut Colonus.
Quod antè pulchrum fulſerat,
Abivit in nigrorem:
Finita nempe eſt Actio,
Et *conditum* theatrum.

3.

Nos theatralis tenet apparatus
Mimici ludi. Modò finit Actus:
Macte! *Plaudamus!* Simulate Prætor,
Pone cothurnum.
Sume lappatam tunicam per horæ
Unius punctum, chlamydate *Cæſar*;
Alteri, ſcenæ ſtrepitu peractô,
*Cede* theatrum.

4.

Lacrymoſa ſcena totô
Talis orbe luditur;

Quos

Quos adorat ore pronô
Teſſelata Vanitas!
Faſtus orbis ſic fatiſcit,
Nudus hinc ut excat:
Quando nempe finit Actus,
*Clauditur* Proſcenium.

## 5.

Scenale vitæ ùt deſiit ſpectaculum,
Annis peractum pauculis:
Mox Actor omnis Comicum ſoccum exuit,
Laurô, aut tiarâ fulgidus.
Non poſt *Epilogum* diſcrepant ſceptrum, & ligo:
Non lappa petaſi, aut caſſides.
*Atropos* theatrum clauſit: Actores ſimul
*Obmutuêre.* Finis eſt.

## 6.

Quando Parca trahit funem, vitæ Actio finem,
Flebile Drama, tenet.
Actori abſtrahitur Veſtis; Diſcretio non eſt;
Sit Famulus, vel Herus.
Ardua procumbunt, Latiíſque ſuperba cothurnis
Gloria ſerpit humì.
Comicus orcheſtram, ſcenámque hôc lemmate claudit:
*Pulvis, & umbra ſumus.*

## 7.

*Comœdia* finiit; ergo
Spectator *Actu* plaude terminatô.
En! Scenicus Actor honorum,
Inſigne, ſceptrum, purpurámque ponit:
Sublata theatrica pompa eſt:
Exutus *Hector* Comicos amictus,

Pro

Pro caſſide Pilea ſumit
*Detrita* (taſtus vah! inanis!) *Iri.*

8.

Vitæ Fabula dum ſuam
Sortitur tragicô funere clauſulam;
Actori Chlamys, & cyclas,
Et cento abſtrahitur! Par habet exitus,
Quondam munere diſpares;
Non fulget Tyriô purpura Syrmate:
Faſtum contumulat Cinis:
Cur hoc? non pete plùs; Fabula *deſiit.*

9.

Unde? E theatro. *Cyrus* in ſcenam datus,
Et plauſum meruit plebis, & obtinuit.
Quæ pompa ludi! ſed, ſecutô Fabulæ
Fine, Coronatus ſindone *Perſa* tacet:
Quodque obſtupeſco; ponit ornatum ſui
Corporis, & tunicâ ſemiamictus abit.
Miraris? Hæc eſt luſio theatri: redit,
Expoſita in nihilum ſcena, quod *antè* fuit.

10.

Ubi texta tela vitæ
*Lacheſi* ſecante ſtamen,
Abit Actor ora mutus,
Et honora nudus oſſa.
Poſitô repentè Rege,
Sinè purpura, tiara,
Sinè faſcibus recedit;
Quia *fluxit hora* ſcenæ.

11.

Actûs quam primùm ſub finem, *Plaudite*, *Quinti*
Hiſtrio ſucclamat; diſparent lumina ſenſim,

Comi-

Comica langueſcit modulatio, gratia ſcenæ,
Spectatore abeunte, tepet. Vix deſiit Actor;
Illico commutans habitum, ornamenta theatro
Ponit idonea, vulgaréſque reſumit amictus.
In *Menymum Pericles* redit, inque *Palæmona Xerxes:*
*Cyrus* in *Autolycum*; quoties Comœdia *finit.*

12.

Comœdiaſtæ noſtra *Terentii*
Par vita ſcenæ clauditur; Ultimus
Ut plauſibus finitur Actus;
Actor abit, poſitô cothurnô.
Quos arcuatô poplite *Cæſares*,
Notis decoros Imperialibus
Omnes *adorabant*, priorem
Ad *famulûm* redière ſortem.

13.

Mundi Fabula quando terminatur,
Vitæ funere terminante ſcenam,
Eſt Actoribus unus apparatus:
Ponit *Ruſticus*, *Aulicusque* larvam.
In mœſtos cineres nigreſcit aurum,
In cænum phalerata pompa. Rerum
Fallax gloria! Sed, quid ingemiſco?
Clauſa eſt Fabula: *Sic fit* in theatris.

14.

Dum ſcenæ lepidus deſiit Actus,
Mimus & velô removet theatrum:
Actori exuitur purpura Regi, &
Cento Mendico, & petaſus colono.
Quæ tres ante Ducum fulſerat horas
Clara fortunis: poſuit ſecures,

*Vir-*

*Verſatura* in agro dextra paterno,
Pro revellendo lolio, *ligonem*,

15.

Quoties it è theatro
Pantomimus Hiſtrio,
Reicit celer cothurnum,
Cycludemque Comicam:
Cidarin, decus Monarchæ
Ponit omne Roſcius;
Quia finiente ſcenâ,
Antè *Rex*, *Arator* eſt.

16.

Spectatum ſatis eſt; Scena Tragœdiæ
Plauſu perſonuit. Ponite, Comicæ
Perſonæ, chlamydes, balthea, purpuram,
Enſes, ſceptra, togas, ſaga.
Actum eſt. Ite domum. Pompa theatrica
Finem nacta tacet. Quid ſupereſt? *Canon*,
*Altum*, poſt vehemens Eja, *ſilentium*;
Scenali *proprius* ſtilo.

17.

Poſt Ludum dimittitur Actor,
Ut meruit data ſcena plauſum:
Momentô Perſona theatri
Ponit honorificos amictus.
Qui Tragicô inceſsère cothurnô,
*Nudipedes* obeunt plateas:
Et ſceptrô, trabeâque ſuperbi
Ad patrium redeunt *Aratrum*.

18.

*Crœſus* ante horam, modò pauper *Irus*;
O! Sortem variabilem!

Incly-

Inclytus ſceptrô, trabeâque fulgens:
Nunc Centone lacerrimus.
Obſitus lappis premitur *ligone;*
Qui paulò ante *ſecuribus.*
Fors ſuos *altè* levat in theatro,
Dejectura *profundiùs.*

19.

Funebris ùt Tragicum ſortitur Fabula finem,
Et ſcenam Vitæ flebile claudit epos.
Sors eadem cunctis, mos eſt Actoribus unus;
Quisque petit propriam, ſed ſinè veſte, domum.
Quæ rapuère oculos ſpectacula ſplendida quondam,
Umbroſâ pereunt nocte ſepulta ſimul.
Momentanea res! Quæ tam *mutatio* præceps?
Quæris? Habet finem Comica pompa. *Papæ!*

20.

Tenebreſcit Aula; Scenis agitata Parabola
Quintô deſiit Actu.
Redit ad ſtatûs prioris faciem thema *tragicum;*
Horæ clepſydra fluxit.
Aliena ponit Actor tegumenta Protaſeos:
*Auguſtum* exuit *Irus;*
*Cybelen Phylix, Lyceris Tomyrin, Thraſo Patroclum.*
Spectâſti propè? *Plaude.*

21.

Ludis exhibitum ſi *Dionyſiis*
Scenæ ludibrium finiit Hiſtrio;
Ponit Ludio veſtem,
*Rex*, aut *Mulio*, ſcenicam.
Obnubunt tenebræ Pancratium, tacent
Siſtris miſta cavis cymbala: deſinit

Applau-

*Applauſus* : vicè cujus
*Riſu Democritus* crepat.

22.

Mima Roſcii ſonorè
Perſtrepebat ſcena paulò
Antè Comicò *tumultu* :
Derepentè tranſit omnis plauſus in *Silentium* :
Obſtupeſcis ? Hoc theatri
Poſcit ordo ; Terminatô
*Imperator* finit Actu
Principatum : Ponit *Hector* arma , tela *Virbius*.

23.

Spectator ! Utquid fixiùs theatralem
Mirâre pompam ? Fine , ſubſtitit plauſus.
*Jo* ! *triumphe* ! Dixit Actor ; & flatu
Sparſis lucernis eſt reducta cortina
En ! Ille *nudus* membra , *Rex* fuit ſcenæ ;
Et ille , *aquali* qui ſuos rigat caules ,
*Dynaſta* ; & ille qui *rogat* ſtipem , *Prætor*.
Nam poſt Epilogum ponitur *Cothurnus*. Vah!

## XIII.

Da man von weltlicher Schau-Bühn ſich ſcheidet,
Werden die Spieler auf einmahl entkleidet;
Alles wird plözlich in Aſchen verwendet:
Dann das Comœdi- Spiel hat ſich geendet.

## XIV.

### *Differt Occaſus ab Ortu.*



Volant Pyroboli , fulgore ſplendidi;
Sed quando recidunt , ſunt viſu luridi:
In caſu pariter Mundana gloria;
Eheu ! Cognoſcitur Res tranſitoria.

# XIV.

## *Differt Occaſus ab Ortu.*

I.

Eſt in Pyrrobolis gratus fulgórque, fragórque;
Tandem deformes, & ſinè luce ruunt.
Sic mundanus honor ſolùm ſplendeſcit in ortu:
Dum crepat; Occiduus *ſaltat* ad interitum.

2.

Dum ſulphurata machina
Succenditur, coruſcat;
Demum tenebris horridam
Poſt ſe trahit ruinam.
Sic vana mundi gloria
Exordiens relucet;
Ut rumpitur; turpiſſimè
In *exitu* fatiſcit.

3.

Pulveris maſsâ pyrii papyrus
Fœta dum flagrat, volat, & figuras
*Scribit* in ſudo; recidiva ceſſat
Machina fumô.
Non ſecùs fulgent ſimulacra mundi
Gloriæ: Splendent oriente luce;
Veſperè, alterni tumulanda lapsûs
*Funere* torpent.

4.

Igne, Cernin'? fœta charta
Tacta paulùm fomite,

Quos jocos ? Quos illa ludos
Aſtra lambens exhibet!
Sed ſuô ſepulta caſu
Turpis eſt , ùt Vanitas:
Manè *fulget* ; ſed probroſâ
Squalet *umbra* Veſperì.

5.

Ut Pyrobolaris machina in cælum volat,
Ceû Vanitatis Symbolum,
Micat tot aſtris Æthra, quot pyriâ faces
Excepit arte miſſiles.
Aſcendit ignis : fulget oculorum ſtupor;
Langueſcit, & in ictu crepat.
Sic Vanitatum pompa dum ruit, quid eſt?
Fumus, vapor, fœtor, *nihil.*

6.

Ingenium Artificis pyrias ſuccendit arenas,
Quas levis ignis agit.
Ut rutilant radii! Poſt ſe rutilantia noctem
Mole ruente trahent.
Vana nec abſimili ſubſultim more Voluptas
Exoriunda micat;
Sed brevis eſt fulgor, quô ruptô, *extinguitur* ignis;
Atque fit umbra, Cinis.

7.

Ceû pyrrobolaris in auras
Tendens comatos maſſa ructat ignes,
Stridore coruſcat amœno;
Extincta torpet fumigante lapſu:
Ità prodigioſa ſerenos
Spargit ſub Ortu Vanitas lepores;

Sed

Sed dum crepat, exequialem,
Quod antè *luxit*, tranſit in *nigrorem.*

8.

Quisquis pulchra videre vis;
Virtutem Pyrii conſpice pulveris:
Ut miros ſuper æthera
Eructat radios; ùt micat, ut ſalit.
Dum ſcintilla tepet, nihil
A tot prodigiis, quàm cinis, eſt ſuper.
Sic eſt ſplendida Vanitas:
Non *conſtat*; ſubitò vergit ad incitas.

9.

Ars pyrobolaris ſulphuris coagulum,
Ut pyriô miſcet pulvere, maſſa ſtupet.
Sed applicatô fomite, excuſſis procul
Ignibus, illuſtrant æthera mille faces.
Sparguntur inter ictuum ſtellæ ſonos:
Fulget in aſcenſu flammea charta ſuo.
Sed rupta odorem *fumeæ* ſtupæ parit;
Vana, tui verum, Gloria, cerne *typum.*

10.

Pyriâ flagrans arenâ
Procul evolat papyrus,
Et in axe ſulphuratis,
Imitatur aſtra flammis.
At ubi ſat arſit, ater
Titio redit. Voluptas
Simili coruſcat *ortu*
Tumulanda mox *ſepulchrô.*

11.

Aſpice, flammivomi volitent ùt in alta Cometæ,
Sulphuréa, pyriáque levem vi pulveris atri

Impellente focum : ſpargantur ùt æthere ſtellæ,
Crinitíque globi, artificis ſpectacula flammæ.
Tandem plauſibili dum machina rumpitur ictu,
Fumeus axe ruit, poſt omnia fulgida, torris.
Gloria vana pari famæ ſplendore coruſcans
Altam celſa *trahit* mox præcipitanda *ruinam*.

12.

Tellure natus, ſyrmate flammeô
Minax Cometes, Aſtra ſub æthere
Millena ſcopatim figurat,
Ignivomô recrepans tumultu,
Vah! Fulgor omnis deſinit in nihil
*Finale.* Fœtet machina ſulphuris.
Sors vana ſublimata, *lapſu*
Ut *crepet*, haut aliter coruſcat.

13.

Succendit pyriô Artifex papyrum
Plenam pulvere, & igne gratioſè
Surſum miſſa nitet. Brevis Voluptas!
Deformis recidit cinis per auras,
Qui tantos oculis jocos creavit.
Sic *chartacea* Vanitas in ipſo
Ridet principio : morare paulùm:
Cernes funereô *exitu* ſepultam.

14.

Admotô pyriæ fomite maſſæ
Ardet, & ſparſis facibus coruſcat:
Aſcenſu lepidè ſtridet, ab alto
Dum ruit, nigrum crepat in vaporem.
Sic Mundi nitido lucet in ortu
Clariùs ſtellâ ſtrepitus *Polari;*

Sed

Sed mox incipiens gloria rumpi,
Atra deturbatur in *Occidentem.*

## 15.

Streperô volat ſub auras
Sulphurata pulveris
Pyrii papyrus igne;
Nocte ſidus æmulans:
Ubi pauca ſparſit aſtra,
Fumigando rumpitur:
Crepat hoc modô, *caditque*,
Nuper *alta*, Vanitas.

## 16.

Ignes Artificum lege volatiles
Ardens pulvis agit: fulguris impetu
Flammæ ſyrma trahunt ignivomum; crepat
Tandem *Miſſile* fumeum.
Ortu plauſibili fulgida Vanitas
Mirandis habitat celſa nitoribus:
Vix *fulſiſſe* diem viſa breviſſimam,
*Impos* luminis *occidit.*

## 17.

Ut pyriô volat uſta papyrus
Pulvere, ſpargit in axe ſtellas:
Miros ejaculata cometas
Definit in leve ſchema fumi:
Mundanæ inclyta gloria pompæ
Lucificô *rutileſcit* ortu,
Proxima, ceû moritura, ruinæ
In tenuem *tenebreſcit* umbram.

## 18.

Si typum vanæ cupias Voluptæ
Puro cernere lumine;

Pulveris maſſam Pyrii volantem
Noctu cerne per aëra:
Fulget aſcenſu, ſtrepit, ardet, ignes
Cum plauſu ſonitûs vibrat;
Dum ruit, fumus, vapor, & nigredo eſt,
Ut lymphatica Vanitas.

19.

Sulphuris ignificâ circumlita maſſa papyrô,
Pulvere per gyros intus agente, volat.
Dúmque volat, miras deſcribit in axe figuras:
Dein extincta, niger non niſi carbo redit.
Conditione pari mundanæ gloria ſortis
In ſublime volans exilit, ardet, ovat.
Sed ruit; & modici *momentô* temporis unô,
In nihilum caſu deteriore *ruit*.

20.

Per inane miſſus altô micat igne Pyrobolus
Spargens æthere flammas;
Ubi tantulùm reluxit, ſtrepitu crepat, & iners
Reſtat portio fumi.
Age! Quisquis es, Voluptæ bona confer *herifuga*;
O quàm fulget in ortu!
Brevibus tumens minutis fugit, auſa memoriam
Poſt ſe linquere *nullam*.

21.

En! ùt flammivomum miſſile ſulphuris
Flammas aſtrigero ſpargit in aëre:
Totum eſt ignis, & *ardor*;
Mox, ùt rumpitur, *Atror* eſt.
Hæc eſt conditio propria Sæculi;
Pompæ mille vibrat ſidera protinus,

Ut

Ut diſparuit, *aſtra*
Sunt *ellychnia* fumea.

22.

Pulvis arctâ ſulphuratus
Ut coruſcat è papyro,
Spargit ignium favillas:
Inſtar Ætnæ ſplendet æther impetitus fulgetris:
Læta viſu ſcena, noctem
Terreis illuſtrat aſtris:
Sed duo momenta durat:
In vaporem grande fumi deſinit *ſpectaculum*.

23.

Quàm ſplendidè ardet Ignis iſte feſtivus!
Scandunt in æthram, miror, Aſtra de terra,
Quoties vibratur arte Miſſile ignitum.
Quin & Dracones, & truces volant Tauri,
Quales *Iáſon* dicitur trucidâſſe.
Tunc *pulchra* ſcena terminatur in *Turpi*.
Sic Aſtra ſcandit Vanitas! ſed, ô probrum!
Altâ ruinâ renovat *Icari* caſum.

# XIV.

Wie die Rachetel, ſo ziſchen und knallen,
Endlich verfinſtert, und Ungeſtalt fallen:
Alſo im Auffgang die Eytelkeit glantzet,
Wann ſie zerplatzet, zum Untergang tantzet.

# XV.

*Vah! Momentaneus Uſus!*



Ut capit aërem inflata bullula,
Latum diſtenditur; ardet, ut gemmula:
Delectat oculos, dum globus volvitur;
Momentô in fumum nihil reſolvitur.

# XV.

## *Vah! Momentaneus Uſus!*

I.

Aëra dum tenuem puerilis bulla coarctat,
Tenditur in vaſtum ſtilla rotata globum.
Quin gemmam riſu reperiſſe putamus inani;
Sed, vah! vix manibus *tangitur*, & nihil eſt.

2.

Si bulla ventum concipit
Balbutientis ævi,
Ampliſſimè diſtenditur
Aquæ vel una gutta;
Quandóque gemmas æſtimet,
Se Pupus eruiſſe:
Caveto; *noli tangere*,
Contacta colliqueſcit.

3.

Gemma ſufflatu teneri Puelli
Pendet è culmo teres: una triti
Stilla Saponis rapit Intuentûm
Phaſmate turbas.
Iris hâc ſeſe tricolor figurâ
Arctat: hic orbis micat inſtar aſtri
Nocte gyrantis: ſed, inane! Difflat
*Halitus* Aſtrum.

4.

Plena ventô bulla vivis
Splendicat coloribus:

Inde turres, inde ſilvæ,
Inde montes emicant:
Flavet aurô, fervet oſtrô
Orbis iſte gemmeus,
Bella bulla, bella! Tangis?
Vah! in auram diſſilit.

5.

*Hyacinthulus*, *Narciſſulus*, *Memnon*, *Hylas*
Pueri tenelli quattuor
*Puerile* tractant. Orbis è culmo omnium
Pendet colorum particeps.
Compendiatas hôc globô vel *Craſi* opes,
Vel habere ſe putant *Midæ*.
Cavete, digitô vel ſupremô tangere;
Eſt bulla, moriens *halitu*.

6.

Ut teretes tornat bullata ætatula bullas,
Claudit & Unda Notum:
In latos modicô flatu diſtenditur orbes
Portio parva vadi.
Da puero pretium, bullam neque venderet aurô,
Perplacet illa magis.
Has tamen, aut Cræſi ſuperantes ſcrinia, *difflat*
Halitus unus *opes*.

7.

Tornatilis unda rotundam
Ex ore culmi parturit figuram:
Ampliſſimus editur orbis,
Gemmâ triennì charior Puello:
*Phrygis*, aut patrimonia *Lydi*
Huic poſthaberet copioſa bullæ:

Sed

Sed rem temerarius Emptor
    Vix apprehendit ; *apprehendit* umbram.

8.

Quando guttula ſmegmatis
    Inflantis calidum concipit aëra,
Vaſtum tenditur in globum,
    Diſtinctum lepidis undique gratiis:
Tanquam ſi Babylonicæ
    Portentoſa foret *gemma* Viraginis.
Sed tangi nequit : unicô
    Theſauri pretium *deſtruis* halitu.

9.

Bullaris ætas halat in culmi tubum,
    Smigmaticámque citô turbine tornat aquam.
Augeſcit undæ ſtilla, picturas refert;
    Fulget ùt ornatu multicolore globus.
Volare in auram Puſio gemmas putat,
    Hinc inhians pretio tendit utramque manum.
O! Spes inanis! Vanuit color, & redit
    In nihilum gemmæ tota *figura* ſuum.

10.

Ubi pendulum madorem
Ab inelegante culmo
Puerilis efflat ætas:
Fit ab halitu rotundus
Globus : & vagos colores
Præ habet Puer pyropo.
Sed, inane! *Flas;* & orbem
Nihil in ſuum *reſolvit*.

11.

Stramineum ſufflante tubum *Ganymede* trienni,
Aëre ſmigmaticas imprægnat ùt halitus undas,

Unica ſtilla amplos circum rotulatur in orbes,
Tam diverſicolore ſubinde nitore micantes:
Æmula Erythræis ùt aquoſa coruſcet, & Indis
Bulla petris. Teneros, pretium ſpeciale, puellos
Afficit; at, Cupidi necdum miracula tangunt;
Jam crepat evapidam *irreparabilis* orbis in auram.

12.

Gemmam, vel id, quod ſit pretioſius
Sapone miſtæ ſtilla micans aquæ
Halantis *imprægnata* flabrô
Egregiè ſimulat Puelli.
Exultat udis his ſuper orbibus
Bullaris ætas; nacta ſub his bona
Quæcunque concentrata; in uno
Ictu oculi bona *diſſipantur*.

13.

Dum bullis tenerum jocatur ævum,
E Culmi levis ore ſtilla pendet;
Sed ventum capiens fit ampla bulla,
Diverſis radians teres figuris.
Electi nitet inſtar unionis,
A longè vibrat aureos colores.
Arridet *variata* pulchritudo?
Dextram tende; quid accipis? Nec *hilum*.

14.

Inſufflata teres gutta Puelli
Halitu creſcit, mediante culmô:
Ut ſe ſtilla cavum tendit in orbem
Aëris plenum: nitet ales humor.
Hac in plauſibili ſe Puer unda
Indicam cenſet reperîſſe gemmam;

Gem-

Gemmam prende, manum porrige; *tange;* heu!
Vanuit, necdum bene *tacta* gemma.

15.

Puerilis ore ludus,
Bulla pendet aurea,
Imitata tot colores,
Manè ſol quot exhibet:
Pretium *tenere* gemmæ
Se puellus autumat:
*Tenuiſſe* ſe, fatetur,
Præter aurulam, *nihil.*

16.

Memnon miſcet aquæ ſmigma liquoribus,
Culmum ſufflat *Hylas:* Et, quid, ait novi
Cerno? Gemma brevi creſcit ab halitu
Beryllis pretioſior.
Concentrantur opes Pygmalioniæ
Iſthôc orbe: manum porrige, *Troile;*
Si Cræsô cupias ditior eſſe. Vah!
Bulla eſt: *Tacta* reſolvitur.

17.

Parvus Hylas halante minutum
Ore tubum leviter ſubinflat;
Stilla prehensô pendula culmô
In tremulum rotulatur orbem;
Ceu reperiſſet Puſio gemmam
Gaudet aquâ pretioſiore;
At, pretium tacturus aquoſæ,
Gemma manus perit inter, arrhæ.

18.

Trimus exultat lepidô Puellus
Flans in ſtramina jubilô;

Stilla

Stilla, proh! quantùm levis ampliatur
Mille imbuta coloribus,
Balbus exclamat: Capite Uniones,
Qui circumvolitant caput.
Et capit; ſed *quid?* Violentioris,
*Bullam*, gutturis halitum.

19.

Dum ſua ventivolas, Puerorum gaudia, bullas
Et levitate graves, & gravitate leves,
Fortè Puer trimus patulas exufflat in auras;
Rem grandem facilis tollit in alta Notus.
Non ſecùs, ac Tyrium reperiſſet, fulgurat, oſtrum;
Scilicet auguſtô bulla colore nitet.
Deliciâre, Puer, bullarum parvule gemmis.
Ut licet; Ah! ubi jam bullula? Rupta *fuit*.

20.

*Epaphus*, puellus annis Phaëtonte tenerior
Efflat ſmigmata culmô:
Opus hæret expolitum omnicolore periodô,
Trimis charius aurô:
Radios figura ſolis tumefactá reciprocat
Multis fulgida gemmis;
Caveſis, manu prehendas puerile opificium,
Bulla eſt; Halitus aufert.

21.

Exercent Pueri dum puerilia,
Diſflant ſtramineô nubivagas tubô
Bullas, undique cultas
Rebus multicoloribus.
Has vaſis præhabet Puſio gemmeis;
Gemmas imò putat. Sed cupidè manum

Pro-

Protenſurus, inanem
Captat *roris imaginem.*

22.

Halitus triennis ùt ſe
Pupuli ſapone miſtis
Arctat undis; bulla prodit
Tot coloribus venuſta; quot die ſol exhibet:
Jubilat Puellus, orbis
Hac opinans in figura
Unionem repperiſſe;
Vix manum tetendit; *auram* luſus *aufert* humidam

23.


Quid machinaris, Pupe? Culmus, & teſta,
Miſtúmque fonti ſmigma quid volunt? Magnam
Rem moliemur, inquit, & tubum ſufflat.
Hem! Quam decorus prodit halitûs partus!
Ut rutilat aurum, ſicut albet argentum,
Ut ſplendet adamas: ſic rubet, nitet, ſplendet:
Nitidiùs ardet nulla *Cleopatræ* gemma.
Evanuit; *Si tangis:* eſt enim bulla.

# XV.

Wann ſich die Lufft in ein Waſſer-Blas ſperret,
Wird auch ein Tröpflein grosmæchtig gezerret,
Scheinet, als hätt man ein Berlein gefunden,
Doch iſt im Augenblik alles verſchwunden.

# XVI.

## *Sic tranſit Gloria Mundi.*



Sic Bullas Vanitas amavit facere,
Incautos homines per naſum ducere:
    Qui Mundi gemmulas manu prehenderit,
    Totum evanuit, poſtquam tetigerit.

# XVI.

## *Sic tranſit Gloria Mundi.*

I.

Talis ad exemplum, non ambige credere, bullæ
Imponit noſtræ vana Volupta ſpei.
Quisquis eas tentat manibus comprendere, bullas
Vix tetigit; ſubitâ diſperiêre *fugâ.*

2.

Ad hujus inſtar bullulæ,
Et ſplendicantis undæ,
Nos vafra fallit Vanitas,
Trahítque nasô aduncô.
Splendere cernis gemmulas,
Tangi manu recuſant;
Si tangis; omnis ocyùs
Evanuit Venuſtas.

3.

Nos pari vexat ſpecioſa Mundi
Largitas donô: pluit uniones
In ſinum, tanquam Jovis ex aperto
Copia cornu.
Prende; Cur hæres? Age! tende tanto
Obviam dextram pretio. Sed, ohe!
Tangis; & tactu crepat, & tepentem
*Expirat* in auram.

4.

Compari Volupta typhô
Ampliùs diſtenditur;

Fulget,

Fulget, ardet mille fucis;
Ultimò diſrumpitur.
Sed cave ; nè pulchra tangas,
Magna ſunt *inania :*
Quod niteſcit, quod rubeſcit,
Eſt opima Vanitas.

5.

Hâc fraude fallit Vanitas, offert opes,
Nummos, honores, gratias.
Lydíque perſonata fortunam, & Phrygis,
Vel utrique comparabilem.
Sunt margaritæ dona, ſunt gemmæ, Thetis
Quas geſtat aure pendulas:
Proinde dextram tende ; quid prendis ? Nihil,
Bullâve quod *fugaciùs.*

6.

Non alia illudit noſtræ cum fraude Voluptas
Exitioſa ſpei;
Aurea promittit, pellucida, fulgida, dignam
Pygmalione penum.
At! Promiſſa tamen nunquam ſua dona ſequuntur;
Da tamen, ipſa ſequi;
Symbola donorum, protenſam porrige dextram,
Et ſimulacra, feres.

7.

Simili ſub imagine bullæ
Gypſata tornat Vanitas parerga:
Oculos Alabaſtrica ludit,
Dum tranſiturâ claritate ludit;
Penetrale pateſcit honorum,
Dat uniones eminentiarum:

Avi-

Avidam citò porrige dextram;
*Tangendo* gemmas in Nihil *reſolvis*.

8.

Sic Lunatica Vanitas
Circeô vapidè carmine perditis
Ceruſſata crepundia,
Fabrorum fabricat more clientibus.
Ornat, tornat, & expolit
Ad limam, veluti gemmea dona ſint.
Arrident oculis quidem;
Sodes! Tende manum; quid reperis? Nihil.

9.

Opima largis ſpargit in populum volis
Prodiga Donorum Copia, vota Phrygis.
Pluit talentis, & potentiæ notis,
Laxatis ferulis ditior Arca Jovis.
Fluit inde honorum ſplendor, & famæ decus,
Nominis & magni gloria, & uſus opum.
O! bella decora! ſed apprehenſa *diffiuunt;*
Ut levis in tenuem bulla *liqueſcit* aquam.

10.

Etiam pari ſub aſtu
Sua Vanitas parerga
Amat ampliare, ditans
Pretioſiore bullâ.
Radiant honor, poteſtas,
Et opes, ad inſtar auri.
Cui ridet hæc ſupellex?
Beat, ô fides! *ad inſtar*.

11.

Hoc quoque, nè dubita, nos Mundi Gloria fallit
Schemate ludibrii: phaleratis dona parergis
Porri-

Porrigit, incruſtans carioſa crepundia fucô
Mentiti pretii: vel opum, vel honoris acervos
Indigitâſſe ſuis ſatis eſt. Simulare favorem,
Non redhibere ſolet: ſpem circumſcribere verbô,
Haud explere datô. Dubitas? Exporrige palmas:
*Rem* tenuiſſe ratus, tenuiſſe fateberis *umbram.*

12.

Nos vana nasô Gratia Sæculi
Suſpendit, & ſpe lactat inutili;
Quid eſt enim fortuna Mundi?
Prætereuntis *Imago* formæ.
Laxante Cornu, ſpargit inanias,
Boni coruſca ſub ſpecie, putâ,
Virtutis, applausûsque: gemmas
Tange, tene, preme; nonne bulla eſt?

13.

Sic ſenſus hominum capit Voluptas,
Sic bullas rotat, & crepundiorum
Offert divitias inaniorum,
Fulgentes quaſi ſint meri pyropi.
Fraus eſt inſidioſa Vanitatis:
Eheu! Decipimur. Dolus ſub auro
Fucatus latet; *Aucupamur* auram;
Omnem ſpem cata Vanitas fefellit.

14.

Hâc Mundus methodô decipit halans
Dona ſpumoſis leviora bullis;
Fallit propoſitô munere donis
Credulos ducens inhiante Nasô.
A longè pretium porrigit, aurum
Lydiæ, & gemmas Orientis Indas;

Pren-

Prenſuro ſed abeſt, quod legat: Inda
Nam perit, bullâ pereunte, gemma.

15.

Nec amiciùs Clientes
Tractat ampla Vanitas,
Sub inertis utre bullæ
Pollicendo grandia;
Quaſi ſit datura gemmas
Perſicas, vel Indicas;
Nihil eſt in his *reale*,
Bella ſunt *inania*.

16.

Frontis ludit inops Nos puerilibus
Mundi blandities vana crepundiis;
Suſpendit dubiâ nare, *Polyxenæ*
Mendax cedere gemmulas.
Heroæ titulis magnificentiæ
Effrons delicias veſtit, honoribus
Ambitas. Avidam tendere dexteram
Feſtinans, reperit nihil.

17.

Fumicrepi Verſutia Sæcli
Haud aliter calamiſtra jactat;
Sunt ſua Dona, crepundia, bullæ,
Luciparæ ſimulacra gemmæ;
Si digitis comprendere geſtis
Ambitioſior Uniones:
Ante-manum-quàm, Puſio, tendas;
Gemma crepat; nihil eſt: vel Aura.

18. Hæc

18.

Hæc Voluptatis genuina praxis
Eſt, illudere fraudibus.
Larga promiſſis, at avara donis:
Monſtrans præmia, nulla dat.
Longiùs mendax titulis honorum
Spem differt inhiantibus;
Viſa quin gemmas, & opes dediſſe;
Bullæ *Relliquias* dedit.

19.

Haud aliter ſuevit fabricare crepundia Mundus,
Cogat ut illiciis in ſua vincla ſuis.
Solicitis phaleras offert, & ludicra curis,
Cræſeas quoties ſubdola monſtrat opes.
Plaudimus arriſu; quin omnia ſalva putamus;
Nósque pares opibus credimus eſſe Jovi.
O! Fraudes! Bona diffugiunt properantiùs Umbrâ;
Numquid habet punctum *Cræſus*, & *Irus* idem.

20.

Neque Vanitas Clientes inamœniùs hilarat
Amplis prodiga donis,
Per opum diutinarum puerilia crotala
Spondet culmina famæ:
Per honoris, & favorem phaleras tenet avidas
Mentes ſortis opimæ:
Celeri, time vocantem, fugiet pede: variat
Fautrix callida larvam.

21.

Planè ſub ſimili fraudis imagine
Mundus ridiculas donat ineptias,
His, quoscunque notavit
Nasô *Rhinocerotico*.

Præ-

Præſentat pretiò gemmea; gratia
Sit Regum, vel Amor, nomine, re nihil.
Hoc *Rufinus*, idipſum
*Beliſarius*, & *Spado.*

22.

Ludibunda, ridibunda
Vanitas pari clientes
Liberalis ſpe, tributô
Ditat affluentiarum; re, nihil valentium:
Monſtrat aureas honorum
Summitates, & favorum
Pegma, Caſuúmque fauſtos
Auſpicatus; quod prehendis, Bulla totum eſt: *Rumpitur.*

23.

Et inde fraudis Vanitas modum ſumpſit,
Humana *longo* quando ducit è *naſo.*
Opes, honores, dignitates, & Vitæ
Spem longioris, fauſtitatis incertæ
Per apparatum ſpondet ampla Fortunæ
*Momenta*; Sanè! liberalis Impenſa!
Heu! Fluxa dona! ſæpe quæ manus inter,
Bullæ inſtar, ire conſpicamur in Ventum.

# XVI.

Gleich einer ſolchen zergænglichen Blaſen,
Macht uns die Eytelkeit längere Naſen:
Wer ihre Berlein mit Händen will fangen;
Kaum ſie berühret, iſt alles vergangen.

# XVII.

*Cave; Nè te faſcinet Oda.*



Doloſa Vanitas, Sirenum æmula,
Tu cauſas horridæ mortis pericula;
Qui ſuæ metuit vitæ naufragium:
A longè fugiat Mundi choragium.

# XVII.

## *Cave; Nè te faſcinet Oda.*

1.

Dulcè, Volupta, ſonas ſirenum imitata canores:
Cantas, ut perimas; Ludis, ut interimas.
Quisquis in hoc Mundi formidas æquore mergi;
Suadeo: Sirenum carmina, Nauta, fuge.

2.

Blandùm Volupta concinit,
Sirenes! O! tacete.
Diſperdit æquè Vanitas
Cantu ſuî ſequaces.
Per Orbis æquor navigans
Non vis perire, Ulyſſes?
Sirenis hujus cantica
Deflecte mente cautâ,

3.

More Sirenum, ſinuat Voluptas
Guttur, & vocem: necat intonando
Canticum Mortis; modulamen audis,
*Tiphy*, periſti.
Naufragas quisquis volet inter undas,
Hac ab illectus *Lamia*, doloſas
Nare per Syrtes: fugiat profanam
*Laidis* odam.

4.

Quàm doloſô palpat hymnô
Vana Siren fraudibus;

Hìc Ulyſes, fraude fraudem
Te juvabit pellere.
Cantet illa: falle cantus,
Cerâ & aures obſtrue:
Qui choros ad Vanitatis
*Surdus* eſt, enavigat.

5.

Propelle, Nauta (quale modulamen) ratem;
Propelle; (quàm ſuavis canor!)
Approximemus. Ah! *Ulyſſes!* Te, & tua
Noli ire peſſum, & perditum.
Sinuoſa Siren cantat, ut mergat; vocat,
Ut mactet; adnat, ut voret.
Enavigare qui voles Mundi fretum:
Sirenis oden heu! fuge.

6.

Quàm reſonat molles Cithariſtria vana canores,
Monſtra imitata Maris!
Quem Modulatricis pellax ligat oda Voluptæ,
Vincula mente gerit.
Siquis at incolumis mundanô emergere Pontô,
Navita Tiphys avet:
Incantatricis, moneo, Sirenis amœnos
Negligat aure modos.

7.

Compeſce, domeſtica Siren,
Voluptuoſas captionis odas:
Etenim ſinuamine vocis
Tuî ſequaces faſcinas cunendo;
Tibi conſulo, Navita, Mundi
In *Arido* nè, Tiphy, naufrageris;

Boreæ

Boreæ citiore volatu
Sirenis odas neglige aure ſeptâ.

8.

Sirenum æmula Vanitas
Non nunquam melicos blanda ciet ſonos;
Siren carmine melleô
Quem trux illaqueat, naufragus interit.
Mundi quisquis in æquore
Evitare animi Naufragium volet;
Omni cautior Hercule
Infamem fugiat Navita Muſicam.

9.

Canora dulcem Vanitas odam intonat,
Tanquam *Terpſichores*, *Melpomeneſue* ſoror.
Sirenis inſtar (ſubdolæ auditum nega)
Vocis in exitium lubricitate trahit.
Humana Vita Pontus eſt: *Scyllæ* latrant;
*Syrtes*, & *Brevia*, & multa *Charybdis* obeſt.
Enavigare quisquis hoc pelagus cupis,
Sirenis *magicum*, Navita, ſperne melos.

10.

Melos aureum rotundô
Ciet ore ſons Voluptas;
Malesvada nempe Siren,
Ut amabilis trucidet
Modulis ineſcat aures.
Fuge Vanitatis hymnos,
*Palinure*; Nam doloſa
*Fugiendo* metra, vives.

11.

Plaudit in aure melos! Cave, plauſum admittere vocis;
Vanæ quippe ſpei præſagia frivola Cantrix

Intonat infamis Siculi Cithariſtria Ponti,
Interitûs ſtudioſa ; *Ithacô* nisì cautior ambas
Verſibus obtures ſomnum inſtillantibus aures,
Sponte quidem ſurdus : mortem exitiúmque minante ;
Voce necat Siren. Quodſi Palinure, ſicanum
Naufragium metuis ? fuge vafræ *Acheloides* odes.

## 12.

Famoſa Siren, dulcè volubili
Incantat aures carmine Vanitas,
Et voce mellitâ canorum
Faſcinat, ut perimat ſequaces.
Heûs! fraudulentæ præpete, quisquis es,
Fugâ nocivas *Aglaopes* ſtrophas
Prudenter evita : periſti;
Nì fugias, malecaute Tiphy!

## 13.

Fallaces vafra ſuavitate vocis
Sirenes imitaris, ô Voluptas!
Mulces eloquii rotunditate
Imos callida mentium receſſus.
Væ! Quisquis facilem tibi dat aurem.
Nè Mundi miſer hauriaris undis,
Acceptiſſima præda Vanitatis,
Sirenum fuge, caute *Tiphy*, carmen.

## 14.

Mulcet melliſluâ voce Voluptas
More Sirenum nocitura Nautis:
Nam fictô ſolita eſt perdere cantu,
Quotquot infamis capiebat *ode*.
Qui verſutus aras æquor Achæum,
Naufragos inter ſcopulos, *Ulyſſes;*

Hanc

Hanc *remis* fugias omnibus; atrox
Eſt enim *Siren*: canit; ut trucidet.

15.

Veluti canora Siren
Intonat celeusmata,
Modulis obaudientes
Perditura fluctibus:
Mare qui voles per hujus
Remigare Sæculi:
Age! Vanitatis arce,
Quas propinat, odulas.

16.

Quod fictô nequiit munere Vanitas,
Compenſat melici vox modulaminis.
Quot Siren *Ithacos* carmine ſopiit;
Tot ſubmerſerat *Icaros*.
Hæc eſt effugii lex properantium
Per Mundi pelagus, negligere auribus
Sirenas, celeri & conſilii rate
Evitare *Capharea*.

17.

O! Maleſana licentia morum,
Tu melicam modularis odam;
At, Sirenum more jocando,
Oceani rapis in profundum.
Qui vitæ trepidante phaſelô
Naufragio ſinè fregit æquor;
Hic *Acheloiadûm* malefidô
Creditur *abſtinuiſſe* cantu.

18.

Vanitas, ampli Citharæda mundi,
Audis? Dulce melos ciet,

Ore mellitos imitata cantus
Sirenum modulantium.
Alliga *malo* laqueis Ulyſſen,
Sed cerâ auribus oblitis;
Nè, quod intendit maleſana cantrix,
Mergat carmine naufragum.

19.

Mollia quàm dulci modularis carmina voce,
Muſarum melicô, digna Volupta, chorô.
Hoc eſt : Voce necas; qui mel modulaminis haurit,
Noxia ſub medio corde venena fovet.
Æmula Sirenum eſt, & fronte, & voce Voluptas:
Merſus ſæpe ſuis eſt *Palinurus* aquis.
Naufragium patiêre modis captatus, Ulyſſes;
Nî clausâ fallax tempſeris aure melos.

20.

Canor ô! Quis afflat aurem? *Polyhymnia*, an *Erato*,
Certent voce, Camænæ?
Sequar aureos Choraulæ modulos. Cave; tumulo
Trux præludit Hyęna.
Citharæda blanda Siren numeros ciet, aliquem
Quò demergat Ulyſſem.
Fuge Vanitatis oden, cupiens mare ſolidâ
Vitæ enare carinâ.

21.

Sirenum tereti voce canentium
Concinnat modulos more Volupia:
Blandô carmine mulcens
Aures, perniciem parat.
Nè Mundi Scopulis Navita naufragè
Alliſus pereas: Cantum *Acheloidos*

Devi-

Devitabis : Ulyſſen
*Captum* eſſe Auribus expedit.

22.

Dote fallit, præmiando:
Voce fallit, blandiendo:
Ceû Camœna criſpat odas;
Cantilenam temne, fallit, vafra Siren, Vanitas:
Saxa, Syrtes, & Charybdis,
Naufragari quisquis horres,
Vortices, Amice, vita;
Sed magìs Sirenis hujus *captioſas* odulas.

23.

Quid, Fama, narras? Ergo *Decima* Muſarum
Amat videri Vanitas, ſimul poſthac
Inter *Heliconis* computanda Cantrices?
O! Vafra Siren! Vanitatis à Cantu
Quicunque pendet; ille ſponte *mactari*
Feſtinat. Ut necat Tarantulæ morſus,
Ità hujus animos carmen *enecat* riſu.
Nè naufrageris; Hanc repelle Sirena.

# XVII.

Eytelkeit, du wie die Meer-Fräule ſingeſt,
Die ſo dir folgen zum Untergang bringeſt:
Wer auf dem Welt-Meer nit Schiffbruch will leiden:
Mus auch von Ferne die Meer-Fraüle meyden.

# XVIII.

*Exitus Acta probat.*



Omnia Vanitas ! Vanitas omnia !
Et ſtulti gaudii veſana ſomnia :
Propinat Vanitas dulce Exordium;
Guſtata lugubre cauſat exodium.

# XVIII.

## *Exitus Acta probat.*

1.

Vana Volupta ! Papæ ! Mundi ſunt omnia Vana;
Effectûs miri germen , & herba tibi eſt.
Principiô blanda es ; ſed dulcia fine venenas.
Pernicies opus eſt , atque ruina tuum.

2.

O ! Vanitatum Vanitas!
O Vana ! Vana ! Vana !
O Vanitas ! Tu germen es
Mirabilis ſaporis.
Blandiris aptè guſtui ;
Sed deſinis venenô :
A te trahunt exordium
Ruina , mors , gehenna.

3.

Vanitas, Dux, & genitrix malorum,
Triſtium radix , & origo fraudum :
Germinas totô genus omne leti ,
Quà patet , orbe.
Imbuis primò medicante ſuccô
Labra , mox guſtum populata, guttur
Strangulas , mortis paranympha , quâvis
*Colchide* pejor.

4.

Falſa , ſtulta , bruta, barda
Vana , vana Vanitas!

Es colubris, es chelydris,
Es ceraſtis dirior.
Blanda fronte, comis ore,
Corde volvis toxica:
Quot peremptos hôc venenô
Victimâſti *Tartaro*?

5.

Sunt vana Mundi præmia; eheu! vana ſunt!
O! Vana rerum Vanitas;
Radice cujus, vel venenoſis magè
Herbis nocivâ pullulat
Lethale virus: Ægritudinum vices,
Lamenta, lacrymæ, funera.
Guſtanda dulcis Vanitas bolum ingerit,
*Famam* necaturum, haud *famem*.

6.

Lubrica ſpes hominum, vaniſſima ſymbola vitæ;
Gaudia fluxa brevis.
Ah! Quò te titulô, niſi dicam, Munde, cicuta es,
Commodiore vocem?
Inſtruis auratos calices; ſub nectaris offa
Toxica liba latent.
Quis ſatìs enumeret, quà *clade* cecideris orbem?
Quod nocet, omne tuum eſt.

7.

Sunt omnia, & omnia vana;
Sunt vana Mundi feſta, vana dona;
Primæva ab origine miram,
Effrons Voluptas, æmularis herbam.
Semeſa ſüavior omni
Favó, venenas ultimò palatum.

Ex

Ex te generatur, in orbe,
Quod luctuoſum, quodque inauſpicatum.

8.

Quid ſunt deliciæ? quibus
Nutritus tenerè *Sardanapalus* eſt?
Quid ſunt, quàm mera Vanitas?
Germen deterius gramine Colchicò!
Extrà; mellea ſuavitas;
Intrà; cor fodicans ſævit acerbitas;
A qua noxia grandium
Damnorum aſſiduè ſemina germinant.

9.

O! Vanitas! ô! Vanitatum Vanitas!
Omnia, quò vertas lumina, vana vides.
Vanus honor, & opum luxus, & vanus tumor:
Omnia letiferi germinis omen habent.
Dulcedo guſtum primitùs præoccupat;
Sed cruciant imas fine venena fibras.
Patrona cunctis Vanitas quodſi *mali*;
Ergo cujusvis eſt inimica *boni*.

10.

O! Inanitas inanis!
O! Acerba ſvavitudo!
O! In orbe cuncta vana!
Ità jubilat Voluptas,
Quaſi dulce mel propinet;
Tamen applicatus ori
Scyphus aurei labelli
*Olet* abditam *cicutam*.

11.

Grandia vana quousque crepas, dolivendula *Circe*?
Munera, quæ ſpargis, diffusô ſplendida cornu,

Sunt ſpecie , & pretiô radicitùs omnia vana.
Mima quìdem ſimulas monimenta realia largis
Diſpenſare volis ; ſed munificentia fallit
Incautos ; dum pôcla foris radioſa pyropis,
Intus *Arachneâ* turgentia felle propinas;
Unde bibant podagram , rabiem, deliria, mortem.

12.

Clamemus Omnes : Omnia Vanitas;
Quô Proditricem nomine te vocem?
Præfers, novercalis *Meduſæ*,
Peſtiferæ putre nomen herbæ.
*Medea*, *Circe*, melle reconditum
Virus propinant. Tu cyathi labra
Indulcorâſti ; ſed bibentem
*Gorgoneô* jugulas venenô.

13.

Vani clauſula ! vana pompa vani!
Quàm ſunt omnia plena Vanitatum!
Quô te nomine , Vanitas, ſalutem?
Albens es lepidi ſaporis herba:
Dulcis principiô ; ſed eſa, captas
Uris peſtiferâ fibras cicutâ.
Hâc radice malâ febres , dolores,
Clades , interitúsque pullulavit.

14.

Rerum pernicies , gloria Mundi,
Pompa lymphatæ mera Vanitatis:
Non erro à proprio nomine ; ſi te
Dixero germen nocui ſaporis.
Es mel principiò , fine venenum,
Ad necem dulci feritate cogens:

Radix,

Radix, quà totô pullulat orbe
Noxa, paupertas, ſcelus, horror, *Orcus.*

15.

Recitetur orbe totô
Talis oda: Vanitas
Fugitiva Vanitatum!
Vana! Vana ſingula!
Quod es, eſt inanis umbra;
Herba ſive Colchica,
Mala germinans cicutæ
Plùs nociva toxicô.

16.

Ploremus tacitis, *omnia*, lacrymis;
Dicamus reſonis, *omnia*, ſibilis
Clamemus validis, *omnia*, vocibus
Teſtes, *omnia Vanitas*!
Radix, unde mali germina pullulent;
Agri noxa, febris, bella, penuria,
Cædes, inſidiæ, furta, domeſticæ
Rixæ, ſemina funerum.

17.

Nequitiæ, ſcelerúmque magiſtra,
Mortiferi Diagramma luxûs,
Exitii vegetabile germen,
Fœta decemplice morte radix:
Mel primis guſtata labellis
Inſinuas; ſed in ore virus:
Ex te Fama recenſet oriri,
Jurgia, prælia, bella, cædes.

18.

Vanitas! Clamant Aqua, Terra, & Ignis
Aërque, Omnia Vanitas!

Vani-

Vanitas Mundi, Speciale miri
Nomen germinis obtines.
Es mel in primis ſapidum labellis;
Sed graſſaris in ilia
*Colicâ* pejùs, ſeriem dolorum
Inter viſcera *germinans*.

19.

Omnia ſunt Mundi vanæ Va-plena-nitatis;
Omnia, Vana hominis gaudia, vanus homo.
Ecce! Voluptatem! Non fide; veneſica Circe
Porrigit auratis toxica cruda ſcyphis.
Pocula nectareis turgent ſpumantia philtris:
Aude ſupremis lambere labra labris.
Heu! Cave rurſus; ineſt fundo letale venenum;
*Cadmeus* quò nec dirius Anguis habet.

20.

Fateamur, eſſe Mundi titulanda *xeniola*
Verô nomine, Vana:
Hera vana, vana vani quoque ſors famulitii;
Regnum denique vanum.
Tibi, Vanitas, idipſum proprium eſt; quia caneris
Vani peſſima Radix;
Scabra fine *amaritudo*; licèt, ùt *mel*, initiô:
Mater publica damni.

21.

Quà ſol Phosphoreo ſurgit ab æquore,
Clamant *Antipodes; Omnia Vanitas!*
Quà ſol mergitur idem,
Clamant: *Omnia Vanitas!*
Tu labes patriæ, dedecus Urbium,
Tu morum caries, germine Colchicô,

Infa-

Infamíque cicutâ
Execrabilis ampliùs.

22.

Vana ſcena, vana pompa,
Forma vana, vita vana,
Vana claritudo famæ,
Sceptra vana, vana regna, *Vanitatum Vanitas!*
Vah! Inauſpicata radix,
Quâ repullulavit herba
Germinis cadaveroſi;
Fœta febri, tuſſe, ravi, peſte, morte, næniis.

23.

Si placet; in unum congeramus immenſam
*Apiciique*, *Tantalique* fortunam:
Atque *Sybaritarum* domeſticos luxus:
Sed & *Epicuri* muſteam Voluptatem.
Hæc cuncta quid jam *ſunt?* quid, inquam, *erant?* fumus,
Vapor, Pruina, ventus, Umbra, momentum;
Evapida demum *Vanitas*. *Malum* cauſat,
Quô premitur Orbis, peſſima hæc *Mali* Mater.

# XVIII.

Eytelkeit, Eytelkeit! Alles iſt eytel!
Eytelkeit, du biſt ein ſelzames Kräutel:
Lieblich im Anfang, am Ende vergifftet;
Unheyl und Untergang haſtu geſtifftet.

XIX.

# XIX.

*In tumbam ſaltu.*



Inſecti ſpeciem terra fert Apula,
Notô vocabulô dictam : Tarantula;
Ridet, & ſaltitat, quem virus ufferit;
Donec exanimis riſu corruerit.

# XIX.

## *In tumbam ſaltu.*

1.

Itala letiferum, dictúmque, Tarantula, vermem
Gentis in exitium flebile terra parit.
Quem morſu ferit; is riſu, ſaltúque movetur,
Mortuus, occiduô ſole, quouſque cadat.

2.

Apuliæ Tarantula,
Aranei figurâ,
Contagioſa felleô
Quemcunque mordet ictu:
Ridet, ſalitque largiter
Phreneticus venenô;
Tum ſole, riſu, & ſaltibus
Expiret, occidente.

3.

Non leoninô *Libitina* rictu
Semper in vulnus vigilat; puſillô
Sæva nonnunquam eſt animalculorum
Dente timori.
Appulæ, credis? Sanies Arachnes
Tigridis vincit rabiem; jocatur
Saucius riſu, ſalit: at, futurus
Veſpere funus.

4.

Ridibunda pro choreis
Dictat horam Vanitas:

Larga

Larga ſaltu, laxa riſa
Sævit, ùt Tarantula:
Inſcii necis cachinni
Antevertunt lacrymas:
Saltitando triſte poples
In ſepulchrum proruit.

5.

Saliare feſtum Vanitas riſu & choris
Magiſtra ſaltûs intimat.
Audimus, auram proximi ſonô quati,
Viciniamque Cymbali.
*Hilaria! Hilaria!* Siſte: nè momorderit
Salios latens Tarantula;
Riſu ſolutos, & choreis, nulla jam
Vis vindicabit *Muſica*.

6.

Læta jocos, riſumque ciens, choreáspue Voluptas,
Exhilaremur! ait.
Deſipis, immodicô qui ſolveris ora cachinnô,
Funeris augur adeſt.
Nuncius, ùt morſu ferit atra Tarantula, mortis
Iſte cachinnus erit.
*Labra* quidem rident, ſimul at lacrymantur *ocelli*;
*Pes* ſalit in tumulum.

7.

Maculoſa Tarantula ſiquem
Intoxicavit peſtilente morſu:
Agitabitur ultro choreis,
Et ſplene verum mentiente Riſum;
Miſer attamen Æger ab ictu
Amente riſu feſſus, atque ſaltu,

Nil

Nil proficiente Choraedo,
*Ridendo* vitam, & *Saltitando* finit.

8.

Audet compare Vanitas
Nos hamare ſuis lege choragiis,
Ut Mundi Cithariſtriæ
Jucundis reſonant omnia Cymbalis.
Terram præcociter juvat
In gyrum facili ter pede plangere;
At! Nè virus Aranei
Te letale, cave, toxicet *Appuli.*

9.

Riſu ſolutus Æger, à Tarantulæ
Mortifero tacité ſaucius ore ſalit.
Coacta hilaritas Languidum afficit; micat
Os riſu; lacrymis at maduêre genæ.
Sed inter hilares riſuum facetias
Virùs edit penitos, & *Libitina* Sinus.
Quid adhæc *Machaon*? Nænias ægro parat;
Scilicet in tumulum, ſole cadente, cadet.

10.

Tacito Tarantularum
Quoties vel Agricultor,
Vel Apuliæ Viator
Malè ſauciatur ictu;
Patientis os *cachinnis*,
Tremulíſque pes *choreis*
Agitatur: Usque Languor
Animam fugârit *Ægro.*

11.

Corpore parva quidem, ſed maxima mole veneni,
Fabula ſi non ſit, ſanioſa Tarantula res eſt;

Tan-

Tantillâ virus letale proboſcide ſpumans,
Ac ſit acumen acûs. Teſtatur *Apulia* miros
Vulneris effectus: *Salit* Æger, *ridet*, & omni
Se motu quatiens, hilari tegit ore dolores,
Quos intus patitur; donec ſub ſole cadente,
*Occidat* exanimis. Quàm vera Tarantula, *Mundus*.

## 12.

Totâ choreis plaudit humum die
Riſu facetus, dente Tarantulæ
Affrictus; at Phæbô, venenô
Saucius, occidit occidente.
Æquis cicutâ lautitiæ ebrius
Feſtinat Orbis *ſaltibus*; illice
Cantu Voluptæ, Mortuales
Ad tumuli popularis Umbras.

## 13.

Quem letale Tarantulæ venenum
Morſu corripuit, ciere riſus,
Et ſaltare diem ſolet per unum.
Nî cantu febris illa *diſſipetur*;
Ægro (funus erit) para ſepulchrum,
Saltu & riſibus ultimùm perempto.
In Riſu quoties, levíque ſaltu
Mors caſu ſalios *præoccupavit*?

## 14.

Si Rupex Italis tactus in agris
Spiculô mordace Tarantularum
Inſanit, rabiens præcoce riſu,
Et levi ſaſtu trepidus; quouſque
Tandem ridiculis motibus Æger
Sole langueſcens cadat occidente.

Quot

Quot ſaltu, & nimiô Mimica Riſu
Vanitas, algens *rotat* in ſepulchrum!

15.

Animalculum puſilli
Inſalubre corporis,
Ut Araneus, veneni
Prodigum, Tarantula.
Quoties ſuâ momordit
Inſcium proboſcide;
Pede plaudit, usque Riſu
Saltitando corruat.

16.

Dic, cur immodicis ſolvere riſibus
Æger? Cur lepidis atria ſaltibus
Pulſas? Quæ ratio? Virus, ait, movet
Me letale Tarantulæ.
O! Vis præſtigiis æmula ſubdoli
Mundi! Corripimur delicias, jocô,
Nugis: virus ineſt exitialius
Tabô *Dipſadis*, aut *Hydræ*.

17.

Eſt languor mirabilis ille,
Qui petulante necat cachinnô,
Is, quem preſſa Tarantula mordet,
Immedicabile vulnus aufert.
Eſto; Putent *curabile* cantu
Tabifugas comitante chordas:
Sed Riſum, ſaltúmque, gravatos
*Exanimare*, fide receptum eſt.

18.

Tigris haud tantum ferit ore vulnus,
Quantum ſæva Tarantula;
Appulus (peſtem vomit in medullas)
Virus ſtillat Araneus.
Ridet, & ſaltat moribundus Æger
Summis in cruciatibus;
Hem! Cachinnando, & ſaliendo vitam
*Mors* exturbat humabilem.

19.

Cui tacitè modicô metuenda Tarantula rictu
Stillat in incautum dira venena pedem:
Neſcius ad mortem Riſu, motúque ſalaci
Se poſci, ridet largiter, atque ſalit.
Donec, Arachnæô ſerpente per ima venenô,
Ridiculè emoriens corruat exanimis.
In Tumbam *ſaltu*, quos hamat, hypocrita Mundus,
Et *Riſu*, larvam tunc poſiturus, *agit*.

20.

Salit Æger ad canorem lepidi fidicinii
Totis artubus algens:
Miſer ore ridibundô, at lacrymantibus oculis
Pallet funeris inſtar:
Rabioſus à veneno ſalit, usque celeriter
Riſu expiret acerbô.
Jocularis ægritudo! Furialis hilaritas!
*Impoſtura Voluptæ!*

21.

Infectum tenui mole Tarantula,
Quem ſubreptitiô pungit aculeô,
Saltat; lapſus humì horam
Donec vixerit ultimam.

Hôc

Hôc triſti Hiſtoriæ Schemate *Vanitas*
Deſignata ſuos Riſibus & jocis
Circumgyrat ineptis;
Sed *Vertigine* labiles.

22.

Qui Tarantulæ puſillæ
Dente foſſus virulentô;
Imbibens tenax venenum,
Dulciter furit, facetis diſſolutus riſibus:
Os pateſcit in cachinnos,
Pes tremiſcit in choreas;
Rodit inteſtina Virus:
Languet Æger, & cadaver in *ſepulchrum* volvitur.

23.

Diſpone tumbam, linteate Pollinctor;
*Septem* excavabis, *Octo* vel pedum longam,
Veſpillo, foſſam. Ridet Æger, & ſaltat;
*Ergo morietur.* Medica ſentit hoc turba.
Mirus *Aphoriſmus* ! Muſicus queat forſan
*Sonus* huic mederi, quô laborat Ægrotus,
Malo ? Faceſſe ! Sat fuiſſe ſaltatum,
Riſúmque; Mutô *clamitat* labrô funus.

# XIX.

Welchen die Spinne, Tarantula, höket,
Gleich iſt mit tödlichem Gifft angeſteket:
Dieſes die Kranke macht tanzen und lachen;
Bis ſie ins Grabe den Toden-Sprung machen.

# XX.

*Delectant vincula ſtultos.*



Te te deſideret, qui volet decipi,
Aut, ùt mancipium in nervum abripi;
Nam ventum verberat, umbram perſequitur,
Qui ſuaſionibus Mundi obſequitur.

# XX.

## *Delectant vincula ſtultos.*

I.

Te petat, occultæ qui neſcit retia fraudis:
Vincula nam captus, qui tibi ſervit, habet.
Qui venari umbram malit, qui cædere ventum;
Obſequio famulus ſe ſacret ille tuo.

2.

Te concupiſcat, qui volet
Fallique, decipique,
Tuo obſecundans nutui
Longam vehit catenam:
Cuî ridet, umbram prendere,
Cuî Verberare Ventum,
Hic Vanitatis Nobili
In ſervitute vivat.

3.

Decipi gaudes? Pete Vanitatis
Verna conſcribi: Dominam verêre,
Et ſub auſteræ ferula Magiſtræ
Vincula jactes.
Aërem pugnô vacuum flagellat:
Verber intentat Gladiator umbræ;
Siquis in Circes malè Servitutem
Juret *Ulyſſes.*

4.

Fidat ille blandienti,
Quisquis optat decipi:

Fidat ille , cui ſceleſto
Grata ſunt ergaſtula;
Sulcat auras , ac arenis
Fidit amens ſemina:
Et meras venatur umbras;
Qui tibi ſe credidit.

5.

Circumveniri fraude qui & technis amat,
Tanquam genus Volatile,
Gremiô Voluptæ protegendus aureis
Vinctus ligatur nexibus.
Sectatur umbram , navigat nubes , arat
Prærupta , fumum verberat,
Irretit auram , vulnus infligit foco,
Se Vanitati mancipans.

6.

Non veto , te paſſas etiam conſtringat in ulnas,
Quem tua pompa trahit.
Hoc ſcio , gloriolæ , vanorum aucépsque favorum
Vincula liber habet,
Umbram perſequitur curſu , infligitque fugaci
Verbera crebra Noto.
Hinc ego noſtra tuo maturè, noxia *Circe*,
Subtraho colla jugo.

7.

Fieri tibi Fabula nolim,
Vates iniqui verſipellis Aſtri;
Fugiens retinacula ſervi,
Me ſolvo triſti ſorte mancipatûs.
Tibi ſerviat , impia *Phryne*,
Venator auræ , vel fugacis Umbræ:

Sen

Seu cuî placet, impote fontem
Haurire *cribrô*; ùt Belides ſub Orco.

8.

Qui captivus in æneis
Compingi pedicis ambit, is ambiat
Vani gaudia ſæculi.
Heû! Quos illaqueat vitrea Vanitas,
Tandem fraudibus enecat.
Sic eſt: præcipitem verberat *Africum*,
Umbræ captat imaginem;
Quem fucata boni ſymbola detinent.

9.

Propola fraudum Vanitas, riſu & jocis
O! Quoties comites enecat ulta ſuos!
Sectetur illam, quisquis illudi cupit,
Et ſtringi ſuras compede, reſte manus.
Nam Vanitatis Aſſecla invanum truci,
Pro vapido fumi pignore, ſervit heræ.
Hâc ſervitute quid *lucretur*, exigis?
Quisquilias, Auræ pondus, inane *Nihil*.

10.

Ego nullus infidelis
Ero Verna Vanitatis.
Famuletur ille, quisquis
Amat indolem probroſe
Animúmque vinculari,
Fieríque Riſus Orbi,
Neque verberabo ventos;
Minùs aucupator umbram.

11.

Te volet, ò fraudum textrix, cui ſorbilis umbrâ
Dulce ſit, illecebræ, pictive tragematis offâ

Nequiter illudi, pedicíſque fabrilibus inſtar
Remigis Adriaci, manicíſque ad tranſtra ligari.
Serviet indomitæ Medeæ, flagra Megæræ
Sentiet, *Elpenor* nodoſa ligamina curſim
Inſiliet, magicô incantatus carmine Circes;
Qui cupit obſequio ſe conſecrare Voluptæ.

## 12.

Stringi catenis, compede Remigum
Orat ligari; qui tibi credulus
Feſtinat obſervare nutus
Verna tuos, petulans Volupta!
Venatur umbram, verberat aëra,
Transfigit ignem, ſeminat in petris,
Arat procellas, Vanitatis
Mancipium Dominæ futurus.

## 13.

Te falli cupiens amet, volétque;
Fallunt illecebræ, jocique fallunt.
Servit, ſplendida quem trahunt, Voluptæ,
Captus *duplicitate*, ſervitutem.
Molles verberat Æoli ſuſurros,
Captat murmura transeuntis auræ;
Venatur pretium fugacis umbræ,
Quem Mundi retinent amica dona.

## 14.

Irretire ſagax illa ſequaces
Fraudium gaudet laqueis clientes:
Subditus Ancillæ mutat inaure,
Et colu Clavam, jaculúmque fusô.
Ignavô *Boream* verberat ictu,
Verna Fortunæ cupidus vocari;

Fidit

Fidit grana petris, navigat auram,
Ponderat fumum, lavat ora Mauri.

15.

Niſi decipi cupiſcas
Vanitatis oſcinô,
Fuge blandientis aſtum;
Vinculat deoſculans:
Cui Vanitas herili
More turpis imperat,
Capit aëris, vel umbræ,
Quæ nihil, *manipulos.*

16.

Affectas vetitis decipi inaniis?
Te Vernam Dominæ ſervitiô ſacra:
Neſcis? Quô titulô, aut digna vocabulô
Sit? Dic Herculis *Omphalen.*
Mundi cudit Amor vincula, ferreis
Heroum caveis robora, mancipans:
Pro longo obſequio dat, vicè præmii,
Præter perniciem, nihil.

17.

Vin'? Ut decipiaris, Honori
Aſſiduè comes ire vano?
Aut manicis, & compede ſtringi
Flebile mancipium Voluptæ?
Ignem te fodiendo fatigas,
Ejus ad Imperium Miniſter;
Aſtra morando, littus arando,
Æthiopis faciem lavando.

18.

Durus Effractor Stygis imperatum
Ancillatur ad *Omphales,*

 In

In *colu*, & *fuſo*: Jugulator Hydræ
Solers ducere Stamina,
Servit *Alcides*, Domitor Leonis
Non pridem *Nemeæi*:
*Vir* Triumphator venit in triumphum,
(Vah! Victoria!) *Fœmina*.

19.

Quem-mala-cunque tuæ delectant ſchemata fraudis,
Ambiat in gremio, Munde, calere tuo.
Vincula me terrent: Nam qui mandata Voluptæ
Obſervat, rigidæ ſervus habetur heræ.
Evapidam vacuis diverberat ictibus auram,
Venarique Umbræ labile corpus amat:
Quisquis in immundo firmat ſua gaudia mundo;
Hinc tibi ſervitium denego, Munde, meum.

20.

Ego decipi recuſo, quia noſco, Mulierum
Verſutiſſima, technas.
Tuus eſſe Verna nolo: vafra retia fugio,
Libertatis Alumnus.
Quid enim foret, tuis ſe malè dedere ſtudiis:
Quàm ſulcare procellas?
Nebulam ferire? Nubes peragrare ſonipede?
Aut ſiccare *Viſurgin*?

21.

Captus tendiculâ eſt, pendulus illice
Hamô damnificæ Verna Volupiæ,
Duris brachia vinctus
Loris, Remige ſtrictiùs.
Nubes aërio remigiô ſecat,
Ventos enſe ferit; Umbram atomi capit;
Rupes

Rupes ſcindit aratrô,
Quem nequiſſima mancipat.

22.

Ille te ſuis amicam
Rebus optet, ô Doloſa
Vanitas. & vinculari
Qui catenis, & foveri mille gaudet fraudibus:
Vanitati dedicatus
Otiosè captat auram,
Stringit umbram, palpat ignem:
Saxa ſulcat, & dealbat ora Mauri *ſmigmate.*

23.

Det ille victas, det manus Voluptati,
Quem nec catenæ, vincla, compedes terreat.
Sit ille Verna Vanitatis, ad foſſas
Cui mancipari ſponte, ſit jocabundum.
Dolia replere *Belidum*, Salebroſum
Arare littus, verberare *Vulturnos*,
Umbram aucupari malo, quàm datam falsò
*Fidem* experiri tam Tyrannicæ *Circes.*

# XX.

Wer will betrogen ſeyn, mag dich verlangen;
Wer dir will huldigen, gibt ſich gefangen:
Wer den Wind ſchlagen, den Schatten will jagen,
Mag ſich zu Dienſten der Eytelkeit wagen.

# HENDECASYLLABI HIPPONACTEI.

## Ut quid diligitis Vanitatem ? Pſal. 4. 13.

## PARAPHRASIS.

O*Ccæcat* ergo *Vanitas* inani
Splendore Veri languidos ocellos ;
*Obturat* ergo ſeriam Voluptas
Ad lectionem Veritatis Aures ?
*Dementat* ergo Mundus , ille pravæ
Agyrta mercis vilitate mentes ?

*Videre* non vult , impedit vaporum
Glaucoma , fraudum machinas Juventus :
*Audire* non vult , grandium fidelem
Periculorum ſurda cautionem :
*Sentire* non vult, deſtituta ſanô,
Fallaciarum ſuavitate , ſenſu.

Secùs *videret* , Vanitatis aſtum
Lenocinando ſauciare mentes :
*Audiret* , eſſe Canticum Voluptæ
Dırum trilinguis ſibilum dracænæ :
*Sentiret* , Æquo lenè blandientis
Mundi , ruinam præparare technas.

*Fortuna* geſtit *Vanitas* videri
Datura *plenis* larga dona palmis :
*Vertumna* vultu eſt. Nunc amica fronte,
Nunc ore mordax. Blanda, nunc ſevera;
Qui verſipellis non retundit ictus
Hujus *Megaræ* , vilior *Menalcâ* eſt.

Induta pictas ſeu *Phrygis* puellæ,
Seu *Lydiæ* , ſeu *Thracis* arte veſtes,

Menti-

Warum liebet ihr die Eytelkeit? Pſal. 4. 13.

EYLFF-SYLBIGE

# ERKLÆRUNG.

SO blendet *Eytelkeit* das Jugend-Auge,
Durch blœden Warheit-Schein, und falſchen Schim̃er?
So *ſtopffet* das Gehœr die Wolluſt-Lauge?
Daſs es das Heyl-Geſatz vernehme nimmer;
So *raubt* Betrug der Welt, als Bosheit-Krammer,
Auf einmahl Sinn, Vernunft, und *Witz*? O! Jammer!

Der Jugend Unfall iſts; Sie will nicht *ſehen*
Verblümter Nichtigkeit Verblendereyen,
Noch Warnung vor Gefahr, auf Bitt und Flehen,
*Betaubet* nehmen an von Hertz-Getreuen;
*Erkennet* nicht die Noth, wohl unbeglücket;
Darinn, als Sinnen-los, ſie ligt verſtricket.

Dann ſonſten wurde ſie ja freylich merken,
Wie Welt-Liſt-Heucheley das Gmüt verletze;
Auch, nach der Wolluſt-Frau verkehrten Werken,
Auf ſie die alte Schlang' ihr Ziſchen wetze;
Ja, das auf Sturtz und Fall der Tugend zielen,
Welt-Falſchheit und Betrug, reiff-ſinnig fühlen.

Es ſtellt ſich *Eytelkeit* dar, gleich dem *Glüke*,
Als gæbe ſie Geſchenk aus *vollen* Hænden;
Gleicht doch dem *Wetter-Hahn*: jezt holde Blicke,
Jezt ſich, wie Tyger Blitz die Augen wenden:
*Veræchtlich* iſt der Mann, der, wann ſie *ſchlaget*;
Ihr nicht den *Gegen-Streich* zu wiedern waget.

In Blum-gewürktem Kleid, gleich der *Pandoren*,
Aus Vorzugs-Eyferſucht läſſt ſie ſich ſchauen:

Mentitur omni flore odora *Floram.*
*Paſti* recumbas, annuat, *roſetis;*
Cave, recumbas: Vallat hirta *ſpina*
Roſam, atque *ſerpens* ſibilat ſub herba.

Quos antevertunt Arboreta flores,
*Vulturnus* aufert. Vix *heri* ſerenæ
*Narciſſus* auræ baſiô potitus,
*Cras* occidentem marcet ante *ſolem.*
Hanc teſſeram, *nil ſtat diu*, probavit
*Multis* ab annis Pulchritudo Mundi.

Quod forte, frangit *Carnifex dierum*,
*Neutrale* Tempus; indies ruinam
Robuſta clamant. Sidit *altiorum*
Porrecta moles turrium: labaſcit
Vel icta lapſu *fulminis*, vel *Euri*
Succuſſa, petras diſſipante flatu.

Cavens ſaluti propriæ Vocantis
Lætos *Hyenæ* negligit ſuſurros.
Exempla terrent, & docent. Periſſe
Qui nolit, extra ſe periculorum
Locet theatrum; Qui jubas *Leonis*
Indemnè mulces: expaveſce *rictum.*

Sed ſpondet *aurum* liberalis, inquis;
Et credo, ſpondet; *non dat.* Omne fucô
Incruſtat auri *Pantomima* donum.
Lamellam inaurat *bracteæ* tenellam,
Et cruda *talci* fruſta Quid prehendis?
Numiſma forſan *quadrilibre* plumbi

Deco-

Voll edles Blum-Geruchs, trutz! Jener *Floren*,
Sie zu beſuchen winkt die *Roſen-Auen*:
Trau ihrem Winken nicht; dann *Dœrner* ſtechen,
Auch kan ein *Schlangen*-Biſs den Fürwitz ræchen.

Der Gærten Früh-Blüh wird vom *Wind* zerſtreuet;
Kaum *Geſtern* ein *Narciſs* hat angefangen
Zu rüchen, von Natur Schnee-weis bemayet,
Welckt *Morgen*, eh die *Sonn'* iſt untergangen:
Dis unvermeydlich Loos: *Nichts lang beſtehet*,
Von *Anbeginn* der Welt im Schwunge gehet.

Die *Stunden-Würgerin*, was ſtark, zernichtet,
Die *unpartheyiſch* Zeit Von Tag zu Tage
Seim Fall ſich nahet, was *Thurn-hoh* geſchlichtet;
Um Feuer-geſpitzte Saul' *Ægypten* frage:
Auch Berge werden einſt vom *Wetter-Knallen*,
Wo nit vom *Sturm-Gebrauſs* zu Hauffen fallen.

Wer liebt ſein eigen Heyl, nit nach der Stimme
Einer lautruffenden *Hyæna* lauffet;
Dann Beyſpiel lehren, daſs, wer dero Grimme
Entfliehet, kein Gefahr des Todes kauffet:
Der kühn mit Lœwen ſich will ſchertzhafft machen;
Mus fœrchten ſein Gebrüll, und Zæhn' und *Rachen*.

Doch ſie verheiſſet *Gold*; ſagſtu: nit, *ſchenket*;
Die tolle *Gauklerin* kan viel verheiſſen:
Zwitzrende *Flinderlein* in Gold-Schaum trænket,
Macht *Katzen-Silber-Stein*, wie Diamant, gleiſſen:
Was halt? ſtrek' aus die Hand. O! weh, dir Plumpen!
Statt Gold, *Vier-Pfündigen* Bley-ſchwæren Klumpen.

Decora glabris exhibet figuris,
Fomenta blando *Vanitas* ocello,
Sunt eſca viſûs *curioſioris.*
Venuſta fallunt. Alba, luminoſa
Gemmata tandem *deſinunt* in umbras;
In fæculentas, *ùt nives*, cloacas.

Hoc è ſepulchris voce mortuali
Cinis perorat, à tot inclytorum
Faſtu ſuperſtes Principum. Reflecte!
Ut ille totum, cuî genu *minores*
Flexêre *gentes*, *terrefecit* orbem:
*Veſpillo* quem nunc calcat *ocreatus.*

Amore noli proſequi ſopore
Leti perunctas Vanitatis *offas:*
*Dulcedo*, turgens felle, ſuadet eſum:
Amaror acri rodit *exta* morſu.
Invitat alta voce; Proximâſti?
*Spelæa* calcas, heu! *Latrocinantûm.*

Et tu furenti ſervies Leænæ?
Tu deperibis, tu, tenelle *ſanguis*,
Hanc *Cercyonis*, *Harpacique matrem*?
Hanc criminoſam fraudium magiſtram?
Hanc, hanc *Meduſæ*, tu tenelle, *larvam*?
Hanc, & quid ultrà pejus, *Orbicidam*?

*Medea*, *Circe* eſt. Nutibus favorem
Blandis adhalat? Dimove ſeverô
Vultu favorem: Baſium propinat?
Tu, ceu ceraſtæ, baſium recuſa:
Suadet ſequelam? Fortiter reſiſte:
Infiige *palmam*; Tum *fuge:* & *Triumphas.*

Es zeiget *Eytelkeit* Kunſt-ſeltne Stüke,
Dem Aug zu Freud und Luſt, viel *Fürwitz*-Waaren:
Was ſchœn, betrüglich iſt, voll ſchlimmer Düke,
Licht-Glantz und Silber-Schein Betrug nit ſparen:
Sich *Letztlich* alls zugleich in Staub verkehret,
*Wie Schnee* in Laken-Koth, der lang nit wæhret.

All dis mit toder Stimm der Aſchen ſaget
Aus hohlem Felſen-Grab, ſo von den Groſſen
Noch übrig iſt, in Staub der Leib zernaget;
Vor dem ſich eh geneigt die *Erd-Coloſſen*:
Der mit Gewalt und Pracht, die Welt *erſchüttert*,
Vom *Toden-Gräbers* Schuh gedrukt, jezt zittert.

Ey! Schleke doch nit mehr, gnug ſo getiſchet,
Mit eitlem Wolluſt-Safft verſüſste *Biſſen;*
*Vergalltes* Hœnig iſt, was ſie gemiſchet,
Gifft nagt das *Ingewweyd*, verſteh, Gewiſſen.
Es ladet *Eytelkeit*: Gehſt hin? Vor allen
Denk', in die *Mœrder-Grub* ſeyſtu gefallen.

Und du, Jung-zartes *Blut*, kanſt dich vermeſſen,
In ſolche Tyger-Art noch zu verlieben?
Als *Mœrder-Mutter* die gantz Heyl-vergeſſen,
Nur Laſter, Liſt und Mord pflegt zu verüben;
In dieſes *Larffen-Aas*? Der? dich ergeben?
Die eh die gantze *Welt* gebracht umbs Leben?

Sie iſt, was *Circe* war. Wann ſie bezeuget
Sich günſtig gegen dir; die Gunſt verſchmæhe,
Mit Ernſthafft-ſcharffem Blik. Wann ſie ſich neiget
Mit einem Kuſs zu dir; zu nah nit gehe;
Ja, das dich in der Sach nit ſelbſt betrügeſt:
Gib' ihr ein *Bakenſtreich*; dann *flieh*: ſo *ſiegeſt*.

XXI.

# XXI.

*Terrenis Cælica præſtant.*



Ego deſidero Bonum durabile;
Totum rejicio , quod eſt inſtabile :
Contemno fortiter bona terreſtria;
Pro Tranſitoriis quæro Cœleſtia.

# XXI.

## *Terrenis Cœlica præſtant.*

I.

Aſt ego quæro mihi, quod nulla intercipit ætas:
    Inveſtigo aliquid, ſemper & usque manens.
Quod nihil, atque fugax, ego non veto, diffluat olim:
    Ponitur in ſolida Spes mea viva baſi.

2.

Ego ſed illud eligo,
    Quod nulla rumpit ætas:
Quæro, quod usque permanet,
    Et usque, & usque, & usque,
Nihil, fugaxque tranſeat
    Paucis ſuperſtes horis:
Æterna ſolers appeto;
    Amplector Æviterna,

3.

Hinc piè ſupplex, quod in æviternum
Duret, inquiro: peritura damno;
Et bonum ſortis, quod in omne conſtet,
                    Inſequor, ævum.
Quod fugax, odi, cane pejus: angue
Pejùs Inconſtans: Amo ſempiternæ
Atrium Pacis: cupio perennis
                    Præmia vitæ,

4.

Me tenent diverſa vota,
    Me tenent perennia:

Quæ

Quæ nec ætas, nec teredo,
Nec putredo deterit.
Quod diurnum, ſæculare,
Hac, & illac occidat;
Me beata ſola, ſola
Æviterna recreant.

5.

Sed me cupido Sortis ætheriæ tenet,
Et, quod ſtat æternum, boni.
Anhelo Cæli, non arenoſas, opes;
Ut irrepertas furibus.
Contemno Phrygii ſacculos ærarii
Obnoxios ærugini:
*Nummum* requiro *Gratiæ* ſummi Boni,
Ultra omne tempus, *aureum*.

6.

Quæro, quod occaſum neſcit; ſed ſemper eadem
In ſtatione manet.
Quæro, quod eſt conſtans, & quod poſt omnia certô
Sæcula fine caret.
Quæ peritura olim, poterunt, non obſto, reverti
In joculare Nihil:
Nempe ego me firmis, longumque æquantibus ævum
Dedico deliciis.

7.

Ego nil puerile requiro;
Nil tale, paucis quod ſeneſcît horis:
Nihili quod ad inſtar, & Umbræ
Vaneſcit, haud me paſcit; eſto, lactet.
Peritura, fugacia calco,
Quotidianô diſſipanda caſu;

Æter-

Æterna, perennia capto,
In omne nunquam deſitura Sæclum.

8.

At me ſanctior attinet
Fixi cura boni. Quod manet, & nequit
Ullô tempore deſtrui,
Conſtanti cupio ſolicitudine.
Olim quod ſeniô perit,
Per me diſpereat; Sunt bona, quæ neque
Rerum tempus edax edit:
Hæc ſpecto; pereat *fumea* Vanitas!

9.

Ergo appetamus, non Midæ fluxas opes;
Non quas vel Lydus, vel cumulavit Arabs;
Sed quas Olympus prodigit gazas, rapax
In quas Autolyci nil vola juris habet.
Nummos voraci obnoxios ærugini,
Reſpuimusque tuos, luſca Volupta, jocos.
Quod durat ævum in omne, ſelectum Bonum,
Involet in noſtras, non populare, manus.

10.

Id anhelo, quæro, poſco,
Quod in omne durat ævum,
Animæ bonum perenne.
Peritura, fluxa, vana
Patiar lubens perire;
Modò poſt ſuprema fata,
Vice Vanitatis offæ,
Bona ſempiterna conſtent.

11.

Miſſis ergo bonis, magis inconſtantibus aurâ,
Nube minùs ſolidis fluidâ, nebulaque fugace,

At-

Atque umbrâ fumi levioribus : appeto punctum
Nominis æterni, durabile pondus honorum,
Imperturbatæ firmum ſtationis aſylum,
Temporis occiduô longè diuturnius ævô.
Duratura volo ; fugiens quæ diſſipet ætas
Momentô tumulanda brevi, pede negligo preſsô.

## 12.

Res tranſituras, & reſolubiles,
Triſtique caſu præcipitabiles
Conſtanter abjeciſſe, contrà
Res ſtabiles cupiiſſe, præſtat.
Anhelo, nunquam quod ſeniô, brevi
Uſûve frangi, vel minui queat;
Affecto *momentum* perenne;
Spes ſolidas mea poſcit horas.

## 13.

Me laudabilior tenet Cupido;
Quæro, quod ſolet interire nunquam:
Quæro, quæ diuturna, & æviterna,
Quæ nec temporis exedit vetuſtas.
Infirmum, Invalidum ſino perire:
Cum Mundo pereant caduca mundi.
Odi ſymbola vana Vanitatis;
Veſtigo ſolidum, perenne, conſtans.

## 14.

Abſint deliquiæ ; nolo caduci
Gratiam, cujus brevis uſus Orbis:
Rebus perpetuò me ſacro firmis;
Abdico, quidquid variat vetuſtas.
Immutabilibus tempore, & ævô
Me bonis dixi ſolidè beandum;

Quod

Quod mortale, fugax, labile; nolo:
Perpetim conſtans volo, & æviternum.

15.

Meliùs mihi futuri
Spes, & hora conſulit.
Abitura cum cadente
Dona ſole reſpuo:
Stabili beata ſorte
Antepono præmia
Subitaneè caducis,
Copiâ *breviſſimis*.

16.

Hinc fluxis habitis inſuper, abdico
Me rebus, ſubitò diſpereuntibus;
Quà dignis numero ſcilicet inſeri
Plerumque exitialium.
Virtutis libeat nutibus obſequi
Demonſtrantis opes non populabiles;
Quas nulla ingluvies temporis, aut edax
Abſumat caries moræ.

17.

Non me momentanea viſu
Pompa ſuî rapit in ſequelam;
Nolo, citis peritura diebus:
Perpetuò ſtabilita malo.
Terreſtre, & mortale ſinamus,
In nihilum, quod & eſt, abire;
Me non-interitura focillant,
Me ſolidæ tenet arrha vitæ.

18.

Sub tua, Doctrix, elementa nôſſe,
Virga; nemo paciſcitur.
Scribis hiberna in glacie ſcholares,
Præceptrix vafra, *literas.*
Malo, præſentet diuturniores
Auri lamina *Syllabas.*
Diffluant illæ: modò Pædagogæ
Duret *Lectio* Cælicæ.

19.

Abſit, ut abjectis animô ſim fixus in offis,
Sanctior in noſtra mente cupido flagrat.
Quæro aliquid, quod non potis eſt abolere vetuſtas,
Quæro aliquid, ſeniô quod veterare nequit.
Quod perit, & poterit perdi cum tempore, perdo;
Non me mundanæ ſortis ineſcat amor.
Quæro aliquid conſtans, ſolidum, durabile, firmum,
Felix; Æternum denique quæro bonum.

20.

Pede calcitrante curſim bona protero dubiæ
Momentanea ſortis:
Quod in omne conſtet ævum, pereat neque ſeniô,
Immutabile, firmum;
Calidis anhelo votis, cupidiſſimus oculô
Non lapſura videndi:
Redigatur in vaporem Nihili, quod *humigenum;*
Me Cæleſtia ditent.

21.

Exhinc vaniloquæ nulla moror Deæ
*Donativa*, ſoni more fugacia,
Pactoli, vel Hydaſpis
Alveìs eruta, vel Tagi.

Hæ-

Hæres, quô loculûm munere *Tertius*
Non gaudet, mea ſe mens validè abdicat;
Cæli Gratia nummum,
Quem cudit, cupio unicè.

22.

Fluxa non moramur; Orbis
Cum ſuo vacillat auro
Subruendus: Cede, Tellus;
Æthra ſalve, ſempiterni plenitudo gaudii:
Abdicatis jam caducis,
Funditusque tranſituris;
Quæro, quod ſolemne jugis
In Perennitatis ævum duret, absque termino.

23.

Glaucoma quodſi forſan hactenus noſtros
Ligavit oculos: nec repertus in *ſcirpo*
*Nodus* erat: Exhinc cæcitatis infauſtam
Abſtergo noctem. Quod perenne, me lactet,
Quod æviternum, me trahat. Polum *magnes*
Meditatur: Et ego ſegniùs polum ſpectem?
Caduca, fluxa diffluant, cadant; lucrer
Æterna; ſubitò ditior Midâ fiam.

# XXI.

Ich aber ſuche, was nimmer vergehet:
Ich aber finde, was immer beſtehet;
Nichtiges, flüchtiges, läſs ich zerrinnen,
Richtiges, wichtiges will ich gewinnen,

XXII.

# XXII.

*Specie ſaturamur inani.*



Qui Poma Sodomæ pulchra forinſecus
Guſtat , inveniet Virus intrinſecus;
Nemo ex mortua palude biberit,
Qui hanc â ſulphure olere ſciverit.

XXII.

# XXII.

## *Specie ſaturamur inani.*

I.

Siquis fumicrepæ guſtâris Poma *Gomorrhæ*,
Guſtabis cineres præter, Amice, nihil.
Nemo ſitim *Sodomæ* cupiet ſedare lacunâ,
Putidus os etenim ſulphuris afflat odor.

2.

Qui poma plena ſulphure
Guſtaverit Gomorrhæ:
Quid, oro, præter pulveres,
Quisquis ſit ille, guſtat!
Sic nemo potat Frigidam
E mortua palude;
Odor favillæ ſcilicet
Os implet, atque fauces.

3.

At Gomorrhæam muliebris eſcam
Vanitas offert, maleôlentis offam
Arboris, cujus cineris medullam
Copia fædat.
Nauſeo Pomum Sodomæ: nec hauſtu
Me, velim, potet mare ſulphuratô
Mortuum: fumi ſatiet culullis
*Tantalus* æſtum.

4.

Quis Gomorrhæ Poma carpat,
Picta Floræ purpurâ?

Eſt cinis medulla ; dentes
Obſtupeſcent : abjice.
Nam ſitire præſtat, undas
Quàm bibiſſe mortuas;
Sulphurata de palude
*Nauſeantur* pocula.

5.

Sicui per hortos ire Sodomæos lubet
Pomi doloſi fertiles:
Idem , quod alii , dicet : hoc rubet foris
Malum ; ſed intus putruit.
Poſſet *Atalanta* denuò his pomis capi :
Niſi , quod medulla , ſit *Cinis*.
Pincerna Mundi limpidas adfert aquas;
Sed *Sulphuratas* ; haud bibam.

6.

Urbs Sodomæa , tuæ qui mordent pomula ſtirpis,
Quíque , Gomorrha , tuæ:
Nil præter cineres guſtant ; eſt ſcilicet intus,
Tota medulla , cinis.
Sic nulli ſtagnans de putreſcente cloaca,
Ominor , unda ſapit.
In promptu caúſa eſt : mare contemeravit aduſti
Sulphuris aſper odor.

7.

Sodomitica Poma legendi,
Siquem *dapalis* permovet Cupido:
Cineris temerarius offam
Pro ſucculenta morſicat medulla:
Bibiturus ab amne Gomorrhæ,
Non ſiſtet æſtum *mortis* è lacuna;

Quia

Quia ſulphur olet pice miſtum;
Quis ergo potet limpidam *mephitin*?

8.

Quem pomi Sodomitici
Præſtans forma rapit : faucibus ingerat,
Si vult , eſurientibus;
Sub picto comedet cortice pulveres.
Nemo , quas mare mortuum
Derivavit , aquas hauriet; utpote
Putri ſulphure ſqualidas.
Eſt fumoſus odor nauſea gutturi.

9.

Dentes ad eſum pruriunt , ùt exhibet
Exuſtæ Sodomæ pendula poma , nemus.
At , *obſtupeſcent* illico : aureus color
Veſtit mala ; quid eſt, fare , medulla? *Cinis.*
Orexin horror ſulphuris ſopit : procul!
O procul , Hortenſes aufer, Amice, dapes.
Nec Mortui Maris Gomorrhæas aquas,
Ad tranquillandam porrige, *Caupo*, ſitim.

10.

Mala mala ſunt Gomorrhæ;
Licèt aforis colorem
Referant rubentis oſtri:
Cinis intus eſt ; medulla
Putrefacta fœtet. Imò
Mare mortuum mephitim
Procul *halat*. Heu! quis iſtam
Sitiens bibat cloacam?

11.

Hic (ubi *Pentapolis*, nunc halans buſta profundum)
Heſperidum radiant aurô pellucida pomis

Æmula mala, *Leone* quibus *metuendus*, *&* *Hydrâ*
Poneret inſidias; niſi mandere poma volenti,
Os ſimul, & fauces, & adesô cortice guttur
Opplerent Cineris, ſemîuſta medulla, favillæ.
Limpida ponè ſcabram lavat unda mephitica ripam:
E qua nemo ſitim levat, ob grave ſulphur odorum.

## 12.

*Fenella* demens! Cur Sodomîticô
Me malô ineſcas? Cortice, *Punicô;*
Sed intus exeſam medullam
Quisquiliis cinerum ſcatente?
Stagnat profundum. Nauſeo, *Vanitas,*
Infecta turpi pocula Sulphure;
Triſtem Gomorrhæa propinas
(*Malo ſitire*) ſcyphum è palude.

## 13.

Quis fructus Sodomiticos vorabit?
Pomum, ſi lubet eſſe mala, carpe;
Guſta: qui ſapiunt venuſta, ſodes!
Hæc *bellaria*? Nauſeas medullam
Igniti cineris! Maris quieti
Faſtidis etiam fluenta? Miror;
Dum te cogito *frigidam* bibiſſe;
Forſan flumina ſulphurata non vis.

## 14.

Aurô poma nitent in Sodomorum
Nata campeſtri, ſpecioſa viſu:
Carpito; ſi guſtus prurit ad eſum
Gluties atram cineris fauillam.
*Fuligo* eſt, reputans eſſe medullam?
Frigidam poſcis? Natat unda ponè,

*Cry-*

*Cryſtallo* ſimilis limpida ; Nunquam
Hinc bibam ; dices : olet unda *Sulphur*.

## 15.

Gula quem jubet Gomorrhæ
Manducare pomula ,
Roſei foris coloris
Intus aridiſſima ;
Cineris vorat medullam.
Nullus implet hydriam,
Sodomiticô fluentô.
Tolle , fætet , execror.

## 16.

Quæ ſors Heſperidûm nos tulit in nemus
Pomis auripari corticis inclytum ?
*Cydippen* pretiô fallet *Acontius :*
Aurô nam tegitur cinis.
Et fraudem amnis olet limpidus ; æſtuet
Si *Latona* ſiti ; Præ Sodomiticis
Optaret *Lyciæ* , nuper inhoſpita,
Hoſpes *ſtagna* paludibus,

## 17.

Qui Sodomæ ſpatiatur in arvis ,
Pendula mala rubere cernit ;
Pulchra foris , rapientia guſtum ;
Sed cinefacta medulla fætet :
Morbificam exhalante favillas
Nemo ſitim levat è palude ;
Nemo bibit ; gravis hæret odoris
Nauſea ſulphurei palato.

18.

Purpuræ , & gilvum minii rubore
Pomum ( forſitan *Eridos* )
Dexterâ verſas ? Procul eſt ab *Idæ*
Luco , Pentapolis ſita.
Hic *Paris* nullus , Dea nulla , pomum,
Quà *Pulcherrima* . vendicans.
Ridet externo , *cinis* aret intus,
Sub , *fragrantia* , cortice.

19.

Fortè Gomorrhæas cuidam gula prurit ad eſcas,
Et Sodomæorum Poma comeſſe lubet?
Aureus ille rubor , ſi tantam movit orexin,
Qui volet , impavidô pollice carpat, edat.
Ni priùs internam cautè ſcrutêre medullam,
Os tibi Sulphureus , vah ! replet omne Cinis.
Nè premat ora ſitis , Sodomitica flumina potas:
Fumivomi , *moneo* , nè bibe pôcla vadi.

20.

Rubicunda poma ſpecto ; Saturemus inediam,
Quæ fert Hortus *Atlantis:*
Arethuſiana Tempe , vel Hymettia nemora,
Aut quæ plantet *Adonis.*
Sed ohe ! Medulla mali Sodomitica cinere
Fauces aſperat hirtô :
Neque frigidam bibemus , renuo beneficium,
Uſtô Sulphure tinctam.

21.

Præſentat Sodomæ Sulphureum nemus
Motæ , poma , rubens illicium gulæ:
Pulchrum *cortice* malum
Eſt putredo *medullitùs.*

Quis

Quis potet, licèt è flumine limpido,
Hauſtas Curſor aquas? Buſtum olet, & picis
Suffimenta Gomorrhæ;
— — — Fœtet potus: *abominor.*

## 22.

Ad Gomorrhæ bella mala
Prurit eſus? Diſce: cortex
Pictus Indô fallit aurô,
Intùs arent poma: ſuccus eſt cinis *medullitùs:*
Propter ipſos manat hortos
Fontis æmulus ſereni
Rivus: hôc ſitim levabis?
Ah! Odore ſqualet amnis Sulphuratô; nè bibe.

## 23.


Fert *Hortulana* mala, quæ tulit furtim
Ex horto Atlantis. Indicô cluent aurô:
*Junone* digna, aut maxumi Jovis menſâ.
*Schœnëis* hiſce fertur eſſe deluſa
A *Venere* pomis, & venuſta *Cydippe.*
I, frange teſtam: vermibus ſcatent ſubtus
Et cinere pellem. Pro ſiti ſcyphum miſcet
Mundi, Gomorrhæa ex Palude, *Pincerna.*

# XXII.

Wer will die Æpffel von Sodoma naſchen,
Findet ein Maul voll der eytelen Aſchen:
Alſo auch niemand vom Toden-Meer trinket;
Weil es nach ſchædlichem Schwefel-rauch ſtinket.

# XXIII.

## *Abundantiſſima Vita.*



Ex vitæ Satier perennis Arbore,
Qualis fructificat in omni tempore:
In fonte recreer Paradiſiaco,
Totus inebrier fluentô Cælicô.

# XXIII.

## *Abundantiſſima Vita.*

I.

Lignum ergo vitæ ſemper durabilis opta,
Quo ſinè vileſcunt omnia, nullaque ſunt.
Perpetuò vivæ Satiabor flumine vitæ;
Me maris æterni delicioſa trahunt.

2.

Ego ſtipitem beabilis
Felicitatis opto;
Absque hac ſalutis arbore
Sunt univerſa Vana:
De fonte guttur proluam
Scaturiente vitæ;
Immerſus æthræ gaudiis
Bibam Beatitatem.

3.

Me fames urget, ſed edam beatæ
Arboris fructum, medio virentem
In Voluptatis melioris arvo;
Pabula Divûm.
Aſperat fauces ſitis? E Serenæ
Congios vitæ puteo bibemus;
Mergar! ô! Mergar ſitiens in iſthoc
Dulce Profundum.

4.

Arbor illa pulchra vitæ
Appetitum delinit:

Quæ perennem præbet eſum
Abſque morbi ſemine,
Hæc ſitim reſtinguit unda,
Unde manant gaudia;
Dulce manna fauſtitatis,
Mel perennis jubili.

5.

Eſt Arbor ipſo in Areæ medio ſacræ
Horti Voluptatis ſita,
Quæ poma *Vitæ* germinat: paſcar cibô
Enutriendus cælicô.
Sitim domabo fonte *Paradiſi*, bibens
Beatitatis congios.
Ciſterna Mundi, putridam venam, vale!
Nunquam ſitimus ampliùs.

6.

Siquæ mala lego; lego non de ſtipite Mundi,
Turgida mala malis:
Indefinitæ ſtirpem mihi ſeligo vitæ
Fertilitate ſacram.
Perpetuis Cæli meliùs recreabor in undis:
Hæc levat unda ſitim.
Oceanô totô præſtat, non mentior, hujus
Unica gutta maris.

7.

Ego Poma famelicus opto
De ſtirpe vitæ nata ſempiternæ;
Saturandus amygdala carpam,
Pro ſopienda ſpiritûs Orexi;
Aſperrimus æſtuet ardor:
Sitim fluentô haud ſopiam Gomorrhæ;

Me

Me mellea *Vena* liquore
Refrigerabit *Jubili* perennis.

8.

Me malum rapit Arboris
Vitæ vivificæ, cujus amabilis
Succus mel fugat, & favum;
Qui cunctam eſuriem ſopiat, & famem.
E Cæleſtibus amnibus
Fortunata bibam pocula nectaris;
Ex quo fonte ſcaturiunt
Duratura Boni gaudia Cælici.

9.

Apage! *Sagena* mortis. Ad bellaria
Aſpiro noſtræ delicioſa gulæ.
Me Vita paſcat: Arbor in Vitæ Area
Conſita me fructu recreet alma ſuô.
Hæc ponè vivis irrigata fontibus
Sola poteſt avidam lætificare gulam:
Fundensque puteus ille vitales aquas,
Sopiet aſſiduam perpete rore ſitim.

10.

Mihi Ramus ille Vitæ,
Animæ ſalubris eſca,
Recreabit appetitum,
Et eduliô levabit.
Ibi melle pota, nunquam
Sitis aſperabit ora;
Juvat *ebibiſſe* totum
*Mare* ſempiternitatis.

11.

Nauſeo funerei letalia fragmina Pomi,
Quæ *Mulier* porrecta *Viro* dat; ab *Arbore Vitæ*

In Paradiſiaci plantata pegmate ſepti,
Non aliunde, ſacram ſaturabo ſalutis orexin,
Ter felix *Epulo*. De vitæ algente deinceps,
Non tepidis Mundi rivis, ſedabo calentem
Fonte ſitim, quà melle fluit, porrectus in herba,
Salvificô torrens, vitalis ut *Helluo* Ponti.

12.

Interminatæ me recreet Sapor
Felicitatis. Pacificet famem
Vitalis Arbor, quam perennis
In Medio, Paradiſe, ſervas.
E fonte, ſpretô flumine mortium,
Potabo vitæ: guttura proluam
Audacter; hauſturus beati
Æthereum Putei fluentum.

13.

Vitæ ex Arbore ridet æviternæ
Fructus dulcior, hunc gemens anhelo;
Quis det, tam ſapidos comeſſe bolos?
O! Vitæ ſimulacra ter beatæ!
Si guttur ſitis aſperet; quid inde?
Dura, Mens mea, fortiter: perennis
Hæc poſt fata bibes fluenta vitæ,
Plenóſque *Oceanos* Beatitatis.

14.

Eſuriem vitæ è ſtipite noſtram,
Non ab infauſta levo ſtirpe mortis:
Carpam continuæ poma ſalutis,
Hic famens fructus recreet palatum;
Humectabo ſiti largiter arens
Guttur in vitam *ſaliente* venâ;

Nè porrò ſitiam merſus in altum
Gloriæ *Eurippum* bibo ter beatæ.

15.

Dapis urget æviternæ
Appetitus : integrâ
Satie referta mala
Involem famelicus;
Recreabit æſtuoſum
Guttur hauſta dulcibus
Liquidiſſimi fluoris
Unda viva fontibus.

16.

Vitæ fructus agro non ab *Adonidis*
Malorum bifero , ſed *Jovis* area
Immortalis habet me cupidum , gulæ
Condimenta famelicæ.
Vivi fons laticis triſte refrigeret
Guttur dulcifluûm mellifer amnium ?
Iſthôc , quô bibitur vita , perenniter
Memet flumine perpluo.

17.

Aſt ego Poma præeligo vitæ,
Dulcia ſuccifluis medullis :
His animæ ſedatur orexis,
Ætheriô ſaturanda ſuccô;
Incorrupta beabilis undæ
Vena meos adaquabit æſtus,
Vitalis ſacra flumina fontis
Perpetuò *ſitiam* bibendo.

18.

Mala manducet Sodomæ execratus
Divis *Tantalus*; haud ego:
Arbor æternæ mihi poma ſtirpis
Vitæ porrigat aurea;
Hôc famem præſtat jugulare bolô,
Hôc immergere poculô
Aridum guttur; quod aquæ propinat
Vivæ, dia bibacitas.

19.

Vividiore meum fructus dulcedine guttur
Recreo, de vitæ ſtipite poma legens.
Iſta ſalutiferæ fert Arbor amygdala vitæ,
Dulcia melle magis, ſuccidiora favô.
Inſuper & puteus benedictæ vividus undæ:
Sæpe ſitim ætheriis alleviabit aquis.
Non me delectat perituræ vena Voluptæ;
*Ciſternæ* Oceanum præpoſuiſſe, juvat.

20.

Saturabit æviternæ dapis alma cupedia,
Vitæ fructus, orexin:
Sinè cujus utpote eſu famis arida rabies
Haud ſedabitur unquam.
Volo, me perennis undæ ſacra vena refoveat,
Fontis vena beati:
Labra cælicô profundô laver; O mare! *Sitio*
Te; Tu me priùs *hauri*.

21.

Si me mala trahunt, eligo, quæ *mali*
Nil mortalis habent; Malo perennia
Vitæ mala, *malorum*
Expertis ſapidiſſima.

Fons

Fons æternus aquæ vim vegetabilem
Derivans *quatuor* profluviis, ſiti
Sedandæ, Paradiſi,
.. Guttur frigeret aridum.

22.

Si tibi, mihíque primùm
Suaſerim: famelicarum
Faucium ſedes orexim
E perennis ſtirpe vitæ roſcidis amygdalis:
At, ſitim quô fonte *mactes*?
Si requiras: Aſſevero:
Pontus eſt beatitatis:
Hôc, inebriande, pota *pro ſalute propria.*

23.

*Pomona*, quæ Bellaria ad Jovis menſam
Subornat, abſit Phrygia cum ſuis malis.
Paradiſe, ſalve! Cujus areæ in *centro*
Vitalis Arbor germinat ſacros fructus.
O! dulce pomum! Quàm meam imbuis mentem!
Hic melle *rivi*, hic lacte *ſtagna* dulceſcunt.
Bene; qui fluenta Vanitatis exoſus,
Reſervat iſthuc guttur: Hic bibet *Pontum.*


## XXIII.

Ich will den Baum des unendlichen Lebens,
Ohne denſelben iſt alles vergebens:
Dort in dem Lebens-Brunn will ich mich laben,
Ewige Wolluſt im Freuden-Meer haben.

XXIV.

# XXIV.

*Minuit metus Enſis orexin.*



Supra quem Gladius diſtrictus fulgurat,
Hunc cibus regius nequaquam ſaturat.
Sic ſtruit Vanitas inter cupedias,
Foris Hilaria ; intus Tragœdias.

# XXIV.

## *Minuit metus Enſis orexin.*

I.

Diſſipiunt Menſæ Regalis edulia, cujus
Imminet in pavidum ſtricta machæra caput.
Siſtitur in tabula (Paraſite, epulare) Voluptæ
Magnificas inter Mortis ofella dapes.

2.

Ponuntur eſcæ regiæ:
Faſtidit Hoſpes eſcas;
Quod pendulus cervicibus
Minetur Enſis ictum:
Sic. Cupa lautis Vanitas
Saginat eſculentis:
Si nulla ſupra verticem;
Eſt multa *Mors* in *eſcis*.

3.

Regiò major ſoliò reclinis
*Damocles*, faſtum removebit omnem:
Si gravem ſupra caput emicare,
Cogitet, enſem.
Utitur tali methodò Voluptas;
Lacrymis riſum, gemitum cachinnis,
Gaudio fletum petulans maritat,
Triſtia lætis.

4.

Regis ad dapes Sicani
Cænat Hoſpes Damocles:

Se ſupra micare ferrum
Terrefactus intuens,
Pallet, & felicitati
Ingemiſcit regiæ.
More quô ſuis Voluptas
Pœnitenda ſuggerit.

5.

Optâſſe Regum poſſe fortunâ frui,
Faſti recenſent, Damoclen.
Rex Siculus offert copiam voti, ſuæ
Adhibendo Menſæ compotem.
Mox ùt reclinis regiô faſtu novæ
Sibi plaudit ipſe gloriæ:
Exanimis inſtar palluit, gladium ſupra
Pendere cervices notans.

6.

Notus *Adulator*, Siculi Conviva Monarchæ,
Regis amore tumens,
Deſuper appensô Reges negat enſe beatos,
Inter honora fore.
Deliquiô nutante dapum Collega, peroſus
Regia fèrcla, labat.
Ecce; *Typum Mundi.* Triclinus regia ponit
Fercula, plena metu.

7.

Brevibus petit Aulicus horis,
Par eſſe pompâ regio Tyranno:
Rex annuit illico, ſede
Cinctum miniſtris elevat thronali;
Sibi plaudit: ùt aſpicit enſem
Majeſtoſo vertici imminentem;

Tre-

Tremit artubus, oréque pallet;
Perinde Regum Sortis omnis Oſor,

8.

Ad menſam Siculi ducis,
Prorex enſe ſuper vertice pendulô
Fluxi propria gaudii
Collabens, veluti tactus acinace,
Edit Symbola Damocles.
Luctum deliciis ponere terminum
Sors aſſveta, tragædiam,
Metam magnificis figit honoribus.

9.

Conviva Siculi nauſeat opiparas Ducis,
Inter lautitiæ regia feſta, dapes.
Horrore quaſſo, pallor inceſſit genas,
Nec mulcent trepidum ſcena, chorea, canor.
Diſtrictus altô pendet in vulnus tholô,
Hinc Hoſpes totô palluit ore, mucro.
Romphæam *equina* Mundus è *ſeta* apparat;
*Truncet* ut ictu unô feſta, theatra, jocos.

10.

Iabat inter apparatum
Epularis Hoſpes aulæ
Tremefactus enſe ſupra
Caput arduum coruſcô:
Ita Vanitas amicos
Hilarat ſuos opimè,
Nitidèque; ſed repentè
Ruit Univerſa pompa.

11.

In Sicula quondam fuit Optio Damoclis Aula,
Sorte Ducum ſe poſſe frui: Dionyſius audit,

Acci-

Acci'úmque Virum jubet in regale reponi
Magnificè ſolium, Regumque decore beari.
Plaudit ovans, ſeſeque intra, ſupráque vagante
Circumiens oculô, ſtrictum cervicibus *enſem*
Impendere *videt*. Subit ora exangnia pallor:
Rex trepidante labans pede damnat inutile votum.

12.

*Diſtrictus enſis* cui ſuper anxia
Cervice pendet: Non ſiculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non Citharæ, fidiumque cantus.
Sic Mundi adornat gloria ſplendidam
Ad tempus, eheu, plenipotentiam
*Urbana*: momentô *revellis*
Oſſa metu ferit, & pavore.

13.

E Regis Dionyſii favore,
Circumſtantibus Aulicis ephebis
Tanquam Rex ſoliô locatus altô
Regum munere Damocles ſuperbit.
Parcâ ſorte beatus, emicantem
Cernens deſuper in caput machæram
Stringi; Regis, ait, vale, poteſtas!
Tantô plena metu *reſigno* regna.

14.

Quem terret gladii fulgor acuti
In caput certô ruiturus ictu,
Hunc non exhilarant fercula menſæ,
Regiô quamvis operoſa ſumptu:
Mundanæ locuples pompa Voluptæ
Splendidô cænam ſtruit apparatu,

Con-

Convivas, epulis veſcere cautè,
Melle conditô recreat venenô.

## 15.

Dionyſiana menſæ
Diſplicent edulia,
Quoties timet machæræ
Vulnus ille Damocles.
Paradigma Vanitatis
Eſt bifrontis evidens,
Alimenta cujus altis
Finiunt doloribus.

## 16.

Non frænant epulæ, quas *Dionyſius*,
Pingui ſympoſiô conſtituit, metum,
Dum pendet rutilans è ſolii tholo
Æs in vulnera, Damocli.
Indulgens genio conſcius ictuum,
Ex omni laterum parte minacium;
Tantò flebilior Delicians, metu
Quantò tutiùs abſtines.

## 17.

Regali mactatus honore,
Et ſiculô trabeatus oſtrô,
Ut ſtrictum notat è trabe ferrum
Vulnus, & exitium minari;
Exanimis pallore, metuque
Illecebras labat inter ipſas.
*Blanda* jocis ſe nempe Voluptas
Inſinuat, minitata *mortem*.

18.

Hoſpes ad cænam Dionyſianam
Vix visâ emoritur dape:
Ut caput ſupra minitatur enſis
Strictô vulnera fulgure.
Vanitas aſtu ſimili coronat
Blandi gaudia ſæculi:
Inchoat vanô ſua feſta *plauſu*
Triſti *funere* terminat.

19.

Luget ad Auguſtas Siculi Conviva Tyranni,
Territus appensô deſuper enſe, dapes.
Ite, ait, illecebræ, genialis edulia Menſæ;
Prome tuos aliis, *Sympoſiarche*, cibos.
Non ego cum tanto paſcar diſcrimine vitæ;
Farta metu mortis fercula nolo Ducum.
*Lectio* ſit Juvenum turbæ vox iſta; velitque
Nunquam *Mundi* epulis exatiare gulam.

20.

Age! *Damocles*, beatis potiâre cupediis,
Sceptri Præco Sicani.
Tremit oſſa, & ora pallet; modo ſurrigit oculos
Stricti ad fulgura ferri.
Mala vota *Phryx* retractat, ratus omnia Ducibus
Fauſtô currere motu.
Ità Vanitas profanæ ſociata malitiæ
Mœſtis læta remiſcet.

21.

Faſtidit Siculi fercula prandii,
Et præſtabilium lautitiem dapum;
Dum Conviva micantem
Se ſupra frameam timet.

Nam

Nam ſic lætitiis triſtia Vanitas
Alternans querulis jubila næniis
Intermiſcet , ut ægrô
—— Luctu gaudia deſinant.

22.

*Cæna* Vanitatis illi
Comparatur , quæ Sicanum,
Deſuper micante ferrô
Regis ad dapes vocatum terrefecit Hoſpitem;
Primus ordo ferculorum
Perſonat feſtivitate:
Languet interim Voluptas;
Cæpta ſuavitudo tandem finit in *ſuſpiriis*.

23.

En ! Phaſianus ; Turdus en ! ſaginatus,
Ficedula, Perdix ! En ! liquore ſpumantem
Cratera Chiô ! En ! Ordines ephebōrum.
Quid ad iſta torpes , *Damocles* ? Gulam farci,
Cuticulámque *regiè* tuam *cura*.
Sed ille fractô triſtis ore reſpondet:
Nolo *feriri* ; Tolle pendulam ſupra
Caput machæram. O ! Sceptra, plena *terrorum*!

# XXIV.

Keinen ein niedliche Tafel erquicket,
Wann er das Schwerdt ob ihn blinken erblicket:
So ſeyn der Eytelkeit üppige Freuden,
Auſſenher Luſtbarkeit , innerlich Leyden.

# XXV.

## *Trahat Nos vera Voluptas.*



Supra Nos Dominus conſtruxit æthera,
Ubi perenniter fulgeſcunt ſidera:
Ultra ſunt ſplendida Cæli palatia,
Beatitudinis immenſa ſpatia.

XXV.

# XXV.

## *Trahat Nos vera Voluptas.*

I.

Nos ſupra expanſam Deus ædificaverat æthram,
Lux ubi Sidereo ſemper ab axe micat.
Aſtra ſuper, rutilis eſt atria cernere tectis;
Eſt ubi plena quies, & ſinè nube dies.

2.

Libravit altum deſuper
Creator orbis axem;
Quò Lux perennis emicat
Solisque, ſiderúmque:
Ultrà Dei Tentoria
Nitent coruſca gemmis;
Beata Cæli Patria,
Et Arva gaudiorum.

3.

Eleva frontem; juvat intueri
Stellços axes, ubi mille ſpargens
Lampades, vaſtus micat inquietis
Ignibus æther.
Altiùs ſtellis radiat ſupremi
Numinis templum: Domus Univerſæ
Pacis; hìc regnans Deus eſt laborum
Plurima *merces.*

4.

Nos ſupra ſtellata tecta
Tot coruſca gemmulis,

Et decora tot pyropis
Magna dextra condidit:
Hæc quietem dant labori,
Servituti terminum.
O ! Amata ; ter beata
Gaudiorum Patria!

5.

Deſpicio terram ; heu ! ſordet infamis ſuo
In Vanitatis punctulo.
Suſpicio Cælum; ah ! fulget immenſum ſuis
In claritatis machinis.
Vah ! *Archimedes !* Visne *metiri*, hanc domum?
*Numerare* ſeriem luminum?
*Immenſa* tecta ! Siderum innumerabiles
Orbes ! *Habitator*, Deus!

6.

Illuc verte oculos , ubi ſtat fabricata ſupremò
Numine digna domus.
Aſpice , quàm rutilis radient ſuper æthera, ſurſum
Aſtra levata , jocis.
Regia ſancta ſuper fulgentia ſidera ſurgit,
Regia digna Deo.
Hìc, hìc, non alibi , *nituntur* gaudia, firmâ
Deliciæque baſi.

7.

Radioſa theatra polorum
Expandit ampli Fabricator Orbis:
Illuſtria mille ſupernè,
Et mille rurſus ſiderum figuris;
Immenſa palatia Regis,
A cujus uno pendet æthra *nutu*,

Mare,

Mare, terra, Bipes, Quadrupésque!
Cui *militare*, eſt ſempiterna Vita.

8.

Mundi maxumus Artifex
Surſum conſtituit pegmata Siderum,
Mirâ luce micantium.
Plùs ultrà radiant atria gaudiis
Conſecrata perennibus;
Quæ longæva quies, inviolabilis
Mentis Pax, & ovans Amor
Ter ſancti placidè Numinis incolit.

9.

Tace, Sicanæ, Damocles, pompæ atria;
Amplior aſtrorum pendet ab axe Domus.
Attolle frontem, & ſpatia contemplans poli,
*Quàm mihi*, dic animô, ſqualida *ſordes humus*!
Tot clara ſtellis tecta: quas in calculum
Cogere, nec Praxis *Pythagorea* queat.
O! Templa, fulta gaudiis locô baſis:
O! *Domus* Immenſi Numinis! Aula *Dei*!

10.

Deus Orbis Architectus,
Fabricator Univerſi,
Super aëris theatra
Radioſa templa fixit:
Super iſta fulget amplum
Penetrale gaudiorum;
Ubi nullus inſtat horror,
Ubi ſanctitudo regnat.

11.

*O; Curvæ in terras Animæ! Fabricator Olympi*
*Os Homini ſublime dedit, cælúmque tueri*

*Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*
Tollite; & ætherias ſublatis frontibus ædes
Suſpicitote, velim. Luſtrate, quot ætheris orbes
Omnipotens Plaſtes ditaverit ignibus: ultra
Sidereas flammas, divina palatia ſurgunt,
Atria lætitiæ, Cæleſtes Numinis Arces.

12.

Id reſtat unum: Nolle diutiùs
Terram intueri; ſed ſuper ætheris
Convexa ſublimare vultum,
Et rutilos oculô levatô
Spectare ſoles. O! Quota ſiderum
Farrago! ſuprà ſplendet habitabiles
Deo penates, claritatum
Innumeris radiant pyropis.

13.

Nos ſupra fabricavit Aſtra Numen,
Libravitque Poli theatra ſurſum,
Semper propitiis decora flammis,
Ceu vivis totidem coruſca gemmis.
Supra ſiderei lares vireti,
Eſt æterna domus, quietis aula;
In quali reſidet laboris omnis,
Æternus Deus, ipſe, magna *Merces.*

14.

Exterſis oculis reſpice; Numen
Siderum vaſtam fabricavit aulam,
Paſſim viſibili luce coruſcam,
Luce de ſolis face mutuata.
*Plùs ultrà* radiat Regia vitæ,
Et beatorum plaga gaudiorum.

Felix

Felix lætitiæ Patria, veræ
Pacis Urbs, ſummi *Statio* Tonantis.

## 15.

Oculos levate Terræ,
Sæculíque filii:
Super ætheris beati
Luminoſa pegmata.
Quota pendet axe ſtella?
Quanta contubernia!
*Numeraret* Archimedes;
*Calculando* deficit.

## 16.

Sordet preſſa ſuis Terra mapalibus
Ac primùm Ætheriæ machina fabricæ
Ex alto rutilis, quà nimiùm patet,
Implet lumina ſolibus.
O! Immenſa domus! Stelliferos ſupra
Orbes vìvificæ ditia gloriæ,
Vah! telluris opes! atria lumine
Summô *plena* micant Deô.

## 17.

Ergo levemus in æthera vultum,
Sidereas meditemur ædes;
Quas ſupra nos cunctipotentis
Dextera Numinis architecta eſt.
O! rutilis domus inclyta ſtellis,
Innumeris domus Inquilinis:
Aurea pacis Regia, Summi
Numinis aula, Boni theatrum.

18.

Ut quid in celſas oculos Olympi
Ædes ſegniùs elevo?
Tecta me poſcunt radioſa ſtellis
Grandi luce micantibus:
Altiùs, Divûm domus Inquilinis
Offert dia palatia:
Qui ſapit; Terræ præhabet Tonantis
Auguſtale *Mapalibus*.

19.

Deſuper omnipotens Opifex expandit Olympum,
Pendentes pulchrâ dexteritate domos.
Has vaga perpetuis illuſtrant ſidera flammis,
Sidera ſolivagi ſplendor, honórque poli:
Ulteriùs; Summi nitidiſſima Numinis ædes
Cernitur, aurifluis ædificata petris.
Vera quies, & opes ſtabiles, æterna Voluptas,
Gloria, vita, ſalus; hìc reperire loci eſt.

20.

Oculis parum levatis, patet apta geniolis
Immortalibus Ædes;
Rutilis coruſca ſtellis, face lucida nimiâ
Tecta immenſa, beata.
Gemo: Terra ſordet, æther quoties ſubit oculos,
Summi Numinis Aula;
Ubi næniam *Voluptas*: Ubi *Copia* inopiam,
Mortem *Vita* triumphat.

21.

Surſum verte oculos; aſpice Siderum
Claros igne choros. O! Rutilantium
Ornamenta penatûm!
O! *Pulcherrima* fabrica.

Sum-

Summô digna domus Numine, quam ſuâ
Majeſtate replet. Glorificantium
Conſummata laborum
------Merces, proſperitas, quies.

22.

Præſtat. elevâſſe frontem
Ad *Sionis* alma tecta:
Tecta mille plena ſtellis,
Luce non liquente claris, fixa diô pollice:
Mille millium beatæ
Manſionis aucta cellis;
Fulget ultrà Pacis ædes,
Cincta partim *margaritis*, ſepe partim *gemmeâ*.

23.

Fortaſſis hujus es parœmiæ ignarus,
Quam ſcit *Lycoris*: *Anſeres* pedes nudi,
Non *introibunt* ampla tecta Cælorum.
O! Tecta nitidis tot coruſca beryllis,
Quot clara ſtellis, quas Dei manus fixit.
Hæc dum videmus, terra ſordet, & fætet.
Supra ſed aſtra ſtat palatium *immenſum;*
Quod Numen *implet*, & ſacræ Voluptates.

# XXV.

Uber uns GOtt hat den Himmel gezimmert,
Wo das beſtændige Sternen-Licht ſchimmert:
Uber den Himmel iſt ewige Wohnung,
Ewige Wohlfahrt und ewige Lohnung.

# XXVI.

*Sic itur ad Aſtra.*



Illos perpetua manet Æternitas,
Queis placet dicere : Vale ! O ! Vanitas!
  Qui cum phantaſtico Mundo divortium,
  Cum Cælo faciunt juge conſortium.

# XXVI.

## *Sic itur ad Aſtra.*

I.

Ad dias illi veniunt feliciter ædes,
    Illecebris Mundi qui cecinêre Vale.
Quíque Voluptatem conculcavêre fugacem:
    Et quibus eſt ſummus cura ſuprema Deus.

2.

Huc virtuoſis mentibus
    Acceſſus eſt apertus:
Huc Proditores evolant
    Et Vanitatis hoſtes:
Et quos Voluptam calcibus
    Triviſſe non pigebat;
Et quos beatæ Patriæ
    Spes una detinebat.

3.

Non in has ædes patet unicuique
Liber ingreſſus; Niſi fiat hoſtis
Trux Voluptatis; ſecùs arcta nullus
                    Oſtia tranſit.
Dic; ſed ardenter: Tibi, Munde, mitto
*Nuncium*; Tecum mihi nulla res ſit,
Vanitas; fies ità ter beati
                    Liminis hoſpes.

4.

Aſt pateſcunt illa nullis
    Sanctitatis limina;

Nî Voluptam, nî cachinnos,
Otiíque nidulos,
Illa Vanitatis antra
Integrè calcaverint:
Mente qui *Reſedit* iſthìc,
Hic futurus *Civis* eſt.

5.

Magnifica, celſa, vaſta cælorum atria,
Vacuámque lamentô domum
Subit Inquilinus, quem juvát vaniſſimis
Dare nuncium facetiis.
Hoſtis Voluptæ Vanitatis proditor,
Mimíque Cenſor Sæculi,
Sanctas in ædes, lege divinâ, ſibi
Jus *Incolatûs* vendicat.

6.

Illi felices has admittuntur in Arces,
Janua clauſa aliis:
Qui Deceptricem generosâ mente Voluptam
Longiùs eſſe jubent.
Dicúntque intrepidi; Cum vanis, perfide, donis,
Mundi, valeto tuis.
Sanctas delicias, & nunquam gaudia cæli
Interitura, volo.

7.

Divis habitabilis ædes
Admittit illos incolas amicè,
Qui bella minantur, & armis
In Vanitatis ſæviunt phalangas,
Fatúæque libidinis hoſtes
Peſſumdaturi Regiam Voluptæ,

*Idi-*

*Idiomate* cordis anhelant
Ad æviternam ſanctitatis Arcem.

8.

Hæc ſtellata palatia,
Summô plena Bonô templa patent quidem
Semper, non tamen omnibus:
Qui Mundi egregius Victor, inanias,
Qui fucata crepundia,
Qui conſtans fatuæ ſymbola gloriæ
Preſſô poplite proterit:
Cæleſtis patriæ Civis habebitur.

9.

*Beatus ille*, cui *procul negotiis*
Mundi, conceſſum eſt, hos habitare lares.
Vanæ ſubactor gloriæ, & Volupiæ,
Et ſpretor, gaudet Nomine Civis, opum.
Qui Vanitatis detriumphavit ſtrophas,
Et preſſô faſtûs truſit inane pede,
Avulſus animô Rebus incertis, ſibi
*Figit* in hac certum luminis æde *locum*.

10.

At! Olympicos penates,
Et amænitatis aulam
Levis hoſtibus Voluptæ
Datur introire tantùm;
Pede qui ſeverus heros
Simulacra Vanitatis
Generoſiore calcat,
Erit hac in Urbe Civis.

12.

Iſtius ſubĕunt tecti penetralia Civis,
Municipésque urbis, faſtum calcâſſe notati

Vanicrepæ Mundi pompæ, ſcelerúmque Magiſtræ
*Abjuraſſe fidem.* Fatuæ qui ſcribitur hoſtis
Nequitiæ comitum, faſtiditæque Voluptæ:
Incola cenſetur ſupremæ Principis Aulæ;
Pacis ubi genius tenerorum candida morum
Pectora ſynceri *nexu* conſtringit *amoris.*

12.

Tot luminoſis atria molibus
Coruſca latè militibus patent
Duntaxat infenſis probroſæ
Nequitiæ clypeo, Voluptæ.
Scribaris hujus Quadriveneficæ
Contemptor, Hoſtis ludibrii ferox:
Et clarus illuſtri triumphô
Sideream penetrabis aulam,

13.

Huc illis aditus patet, caducum
Qui tempsère animô ſuperbiore
Mundum cum petulante Vanitate,
Eluserèque machinas, & aſtus,
Et millena dolique fraudiúmque
Oblectamina ſordidæ Voluptæ;
Rumpentes laqueos, & evolantes
Illuc mente, ubi nulla *Cura* regnat.

14.

Has olim rutilas incola ſedes
Poſſidet, Divis titulô coæquus:
Cui turpes placuit ſpernere pompas,
Et vafræ calcem dare Vanitati;
Et clamare: Vale! Pſaltria Mundi,
Pravitas vitæ, caries Juventæ!

Me

Me delectat, Ave, dicere, Virtus!
*Janitrix*, morum pietas, Olympi.

15.

Hilarem ſubintrat aulam
Fauſtitatis aureæ;
Simulacra cui Voluptæ
Peſtilentis excidunt:
Sed & abdicare perſtat
Sæculi crepundiis
Et amare ter *beatæ*
*Viſionis* Atria.

16.

Has ædes meriti merce parabiles
Invadunt, Animi qui penetralibus
Exclusêre notas criminis, anxii
Terrenis retrahi bonis.
Sanæ doctus iter, quamlibet arduum
Virtutis, penetrat *Claviger* Hercules;
Cui forti placuit dicere ſpiritu:
A me tollere, Vanitas!

17.

Hæc immenſa palatia Divûm
Terrigenis habitantur illis,
Quêis eſt fixâ mente ſtatutum,
Vanicrepas removere pompas;
Inſtabiles contemnere gazas,
Evacuare *Lycæa* luxûs,
Damnificæ *propylæa* Voluptæ
Diruere, & vitii *tabernas*,

18.

Non Voluptatis, neque faſtuoſi
Exlex Aſſecla Sæculi,
Auſit auguſtum penetrare limen
Tam ſpectabilis Atrii:
Nullus *Ægysthus*, *Coryneta* nullus,
Verbô, Nullus *Apicius*.
Quos Amor *ſummi* tenet, & cupido,
Cives Urbis erunt, *Boni*.

19.

Regis ad imperium non quilibet intrat in urbem:
Quisque nec extremo de grege Civis erit.
Tecta manent illos rutilis radiantia gemmis,
Quos non pœnituit dicere: Munde, Vale!
Qui neglexerunt conſortia prava Voluptæ,
Et truſère alacri dona doloſa pede.
Denique quos Cæli tenuit ſacroſancta cupido;
Quorum erat æthereis inſita Vita plagis.

20.

Sed in hujus Inquilinus penetrat domicilii
Non quicunque, ſed ille;
Cuï viluit Voluptas, ſcelerum rea Genitrix,
Moris Præſes iniqui:
Placuítque Vanitatis dare forte repudium
Mentis robore pompis:
Et amare cordis æſtu, ſitientis & Animi
Immortalia tantùm.

21.

Hæc Mundi Domitor, quíque *Volupiæ*
Extorſit meritam Victor adoream:
Fortunata triumphans
Olim ſubvolat atria.

Hæc

Hæc *Septemgeminæ* pegmata Gloriæ
Celſos vivificæ lætitiæ lares;
Magni tecta Tonantis,
Et Divûm *Capitolia*.

22.

Innocentis hanc Voluptæ
Regiam ſubintrat Oſor
Vanitatis, & fugacis
Cum ſuo potente faſtu ſubjugator Sæculi:
Exulant hâc Arce *Sciron*,
Cúmque *Clodiis*, *Luperci*:
Jure gaudet Incolatûs
Sola Virtus Herculana, digna Victrix *laureâ*.

23.

Spectantur Aſtra; nil juvabit aſpectus,
Uſu negatô. Ter beatus eſt ille,
Qui verus hujus Inquilinus eſt templi.
Quis ille? Nugis ſæculi manu miſſus,
Quicunque *nuculas* Vanitatis abjecit.
Non ſatis initium. Semper in bono *ſtare*,
Virtutis heroæ, & Viri eſt. Nec *Alcides*
Hoc ſemper auſit. Tu, potéſne? *Conare*.

# XXVI.

Dieſe Behauſung die Jene beziehen,
Welche die flüchtige Eytelkeit fliehen:
Welche die zeitliche Wolluſt verachten;
Welche nach ewigem Wohlleben trachten.

# XXVII.

*Jam fixâ mente ſtatutum eſt.*



Eja! nunc, Anime! nunc age fortiter,
Calca illecebras Mundi alacriter;
Quod imbecillum eſt, & vanum, abige;
Mentem ad præmia æterna ſurrige.

# XXVII.

*Jam fixâ mente ſtatutum eſt.*

1.

Eja ! Quid hæremus ? Reſonent pia Claſſica tandem ;
Gloria ſub forti poplite preſſa gemat.
Æternum placeat, placeat, quod durat in ævum ;
Nos Diuturna Poli gaudia jugè beent.

2.

Quid ergo languet indoles ?
Mens, eja ! Quid moraris ?
Vale canamus ultimum,
Terræque, terreisque ;
Æterna ſolùm rideant,
Nunquámne non beata :
Felicitatis aureæ
Beemur ergo donis.

3.

Eja ! votorum rata ſunt meorum
Pacta ; Conſultô generoſiore
Juro : Doctricis fore me deinceps
Criminis hoſtem,
Evola tandem ; pete, Mens, perenne
Gaudii regnum ; thalami beati
Areas, ſedem ſolidæ quietis ;
Linque caducum,

4.

Eja ! Mens ; aſſume pennas,
Perge, Cælo proxima :

Quid-

Quidquid eſt in orbe pulchrum,
Huic Vale cantabimus,
Calce preſſâ jam fatiſcit
Vana Mundi gloria.
Quin in aſtra ſubvolemus,
Ad quietis Patriam.

5.

Euge! Abdicatâ ſæculi pompâ, & datâ
Peſſum profanâ gloriâ,
Meditemur Aſtra verſùs accincti viam:
Aſtra, genuinam patriam.
Hâc exulare, jam diutiùs piget;
Heu! *Deviabamus* ſatìs.
Præhabere centum mortibus vitæ genus
*Interminabilis*, lubet.

6.

Quid facimus tandem? Quid dulces perdimus horas?
Mens mihi ſuadet iter.
Linquamus luteæ vaga blandimenta Voluptæ,
Vana perire facit.
Terrea ſordeſcant, delectent ſidera ſolùm,
Quæ ſinè fine beant.
Hæc fortunata ſerò cum ſorte tenebo:
Jugè beatus ero.

7.

Mens, eja! reſolve, quid hæres?
Quouſque tandem patriâ *exulamus*?
Animô cane maſcula fixum
Stat Vanitatem prorſus abdicare.
Terrena relinquere, ſurſum
Ferri, beatos in *Sionis* hortos;

Ubi

Ubi perpete Patria *Majô*
Beata, Cives *liliis* coronat.

8.

Ergo præpete ſpiritu
Dicamus celeres: Appage, Vanitas!
Damnoſi illicium mali,
Stultarum genitrix læva cupidinum.
Circe Quadrivenefica,
Deceptrix in agris edita Colchicis;
Poſthac me bona cælica
Præ Mundi vapidis deliciis habent.

9.

Abrumpe lentas, Anime, jam tandem moras:
In patriam, exilium deſere, caſtra move.
Sed ante, miſſis ſæculi crepundiis,
Supremum, Cæli dic Patriota, Vale.
Da *Vanitati* nuncium: jugum excute:
Sidereas arces, *carcere* liber, adi.
Diu *exulâſti* Patriâ: nunc te *invehet*
Cum ſacris reducem dia *Volupta*, Jocis.

10.

Moveamus ergo caſtra,
Animíque robur omne
Renovetur. Urget hora,
Dare terga Vanitati.
Aliena terra longùm
Tulit Exules; beatam
Aliquando, *ſerò* quamvis,
Patriam petamus. Eja!

11.

O! Sodes! Agedum! Mecum disrumpe catenas;
Illico ſolvamus depreſſi vincula colli.

Ela-

Elaqueemus, Amice, manus poſt terga ligatas,
Compedibúsque pedes, ad inane hucusque retentos
Criminis illicium, ſævæque tyrannidis œſtrum.
Libera Mens ſuper alta poli ſe noſtra calente
Libret anhelatu, patriam ſubitura perennis
Sympoſii, verísque ſacri immortalia *Tempe*.

12.

Eja! Ergo; cur hîc *ſtamus*, & optimas
Calcamus horas? Mittere nuntium,
*Siquando* viſum eſt Vanitati;
Hanc *hodie* jubeo Valere.
Hucusque Cæli cardinibus procul
Negotiati, quò vocat, *ibimus*
Nos Vita cæleſtis: relictô
Exiliô, patriam petentes.

13.

Ergo, quid facimus? Quousque ſtamus?
Omnes rumpere quis moras vetabit?
*Cur non imus*? Age! Ergo Machinator
Summùm, Munde, Vale! Vale, Voluptas!
Et tu, ſplendida Vanitas, Valeto!
Portum Navis enim beatiorem
Suſpirat mea. *Remigate*, Nautæ;
Optatum procul eſt videre *littus*.

14.

Rumpamus laqueos! Eja! viritim
Liberam tandem meditemur auram:
Sat vincti pedicis viximus; exhinc
Aſtra prenſemus manicis ſoluti.
Vileſcant tumidi gaudia ſæcli,
Vana fortunæ lucra mentientis;

Lon-

Longinqua *reduces* è ſtatione
*Exules* Urbem *patriam* petamus.

15.

Age ! Mens, in alta ſanctô
Subvolemus impetu.
Satìs eſt datum caducis:
Militemus ætheri.
Ubi nulla febris inſtat
Hora : nulla funeris.
Ubi *ſempiterna* vita
Se reſignat Incolis.

16.

Decernamus abhinc mentis anhelitu
Heroô laqueos rumpere ; Colchidis
Velli littoribus, tenſáque pandere
Vela in *Pacificum* mare.
Mundi Ripa, Vale ! Provehimur Notô
Portu propitiô. Cedit Hypocritæ
Littus navifragum : tangere *Cycladum*
Fauſtas, expedit, Inſulas.

17.

Ite ! Quousque moramur ? amænos
In ſuperûm thalamos vocati :
Exilii præponere tesquis
Eja ! juvet patriæ penates.
Os homini ſublime dederunt
Dî, Jovis ut ſpeculetur Arces;
Huc oculis, cupidisque feramur
Mentibus, *Indigetes* Olympi.

18.

Cur humì fixas habitamus aulas
Stricti littoris Accolæ?
Cur peregrini procul exulamus
Veræ à limite patriæ?
Verte temonem, pia mens; ad arces
Aſpiremus Olympicas;
Solis ad regnum, *dirimentis* ortu
Vani nubila *Sæculi.*

19.

Eja! Age! Felices tandem properemus in oras;
Huc, quicunque meæ vult comes eſſe viæ.
Protinus eluſæ vertamus terga Voluptæ,
Supremùm, ſceleris Ludìmagiſtra, Vale!
Spes mea, ſolve ratem (ſublata eſt Anchora) Remos
Arripe, propitiô Carbaſa pande Noto.
Cælica tranquillos Nobis dabit *Anglia* Portus:
O! Ades! O! Dulcis patria, *dulce* ſolum!

20.

Igitur quietis horas reſecemus alacriter,
In certamen ituri;
Animô jugum Voluptæ lacerare ſtat agili;
Nec parere capiſtro.
Satìs illa fraudulenter mea, méque laqueolis
Innodavit opertis;
Juvat, *amputare* caſſes, & in aëra Volucrûm
Ritu, *attollere* mentem.

21.

Decretum eſt, Animì conſule liberi
Ferratos gravium rumpere compedum
Nodos, atque Voluptæ
Vectigale Tyrannidis

Detre-

De trectare jugum. Jamque valebitis
Faſtus, ſplendor opum, gloria nominis,
Luxus divitiarum,
Mundi pompa, fugacium.

22.

Virtuoſos inſequamur,
Ad beata clauſtra paſſus:
Strenuè bellando contra
Omne Vanitatis agmen duricorde Spiritu:
Subjugata Pompa Sæcli,
Oſculari docta, plantas
Laureati *Scipionis*,
Negligatur; æviternæ *ridet* aula gloriæ.

23.

Mens! pande vela; quid moraris? Abſcedant
Turres, & Urbes. Provehamur è portu
Remis in Altum, *Vanitate* ringente,
Stultâque Mundi *gloriâ* reclamante.
Procul beatæ Cycladum Inſulæ littus
Affulget. Eja! Da *celeuſma*, Navarche!
Enavigatum eſt æquor; agimus *in tuto*.
*Apluſtre* lauru, ſi placet, *coronemus*.

# XXVII.

Nun, wolan! Laſst uns den-Ritter-Zug wagen:
Laſst uns der Eytelkeit völlig abſagen:
Laſst uns nach ſeeliger Ewigkeit ſtreben,
Laſst uns in ewiger Seeligkeit leben.

XXVIII.

*Deſpectis Seria nugis.*



Tu, turpis Vanitas, abeſto longiùs:
Pulchra Æternitas, adeſto propiùs:
Tuî, Beatitas, amore crucior;
Donec te teneam, Dolore ſaucior.

XXVIII.

# XXVIII.

## *Deſpectis Seria nugis.*

I.

Te contemno, peri æternùm, veſana Voluptas;
Te volo ſolicitâ, Cælica pompa, prece.
Te, mea cura, volo: Te mens deſiderat, & cor,
Donec ades; vehemens exedit oſſa dolor.

2.

Abeſto, turpis Vanitas,
Luésque, mórsque mentis;
Adeſto, ſempiternitas,
Deſiderata ſemper;
Te cordis ignes ambiunt,
Te pectoris medullæ;
Nî te prehendam, languidè
Non liberor dolore.

3.

Te Voluptatis fatuæ magiſtram
Mille configo jaculis minarum:
Vita te Divûm, titulis honorum
Millibus orno.
Inſitam cordi gero te, beatæ
Sortis auctricem memori, tendam
Te mihi præbe; niſi des, rigeſco
Præda dolori.

4.

Vade, ſpurce Munde, vade,
Morionum clibanus.

Te requiro mille votis,
Dulcis æviternitas:
Sempiterna anhelo tantùm
Æviterna rumino:
Donec aſtra lucrer; *intus*
Angor, *extrà* lacrymor.

5.

Fixum eſt; Statutum eſt. Vanitas! Si quô tibi
Vixi illigatus vinculô
Seu charitatis, ſeu *clientelæ;* amodò
Abdico, reſigno, *renuncio.*
Te mihi Magiſtram, te ducem, te Principem
Decerno, ſancta Æternitas!
Te donec habeam mentis incluſam ſinu,
Exulceror doloribus.

6.

Te turbo piceas, mentitæ gloria ſortis,
In Phlegetontis aquas;
Quæreris à paucis, ô Vita æterna! Deinceps
Jam tua quæro bona.
Te, mea proſperitas, te, te, mea cura, meum mel,
Te, mea vita, volo.
Donec te ſtringam manibus, mea vita, moleſtê
Corda dolore gemunt.

7.

Amolior, execror, odi,
Averſor omnem Vanitatis arrham.
Te, Cælica Vita, repoſco:
Unum ſacrarum mentium beamen:
Te, Vita ſilenter anhelo
Siticuloſi cordis è medullis:

Ades!

Ades ! Eja ! Dolore liqueſco;
Nî prompta paſſas involes in ulnas.

8.

Tandem quære malam crucem,
Mundi pernicies, tinnula Vanitas;
Totô cordis anhelitu
Jam te ſolicito, Diva Beatitas:
Sanctarum Dea Mentium,
Æternans jubar, & gloria Cælitûm:
Affligit dolor ilia;
Donec te cupidis ſtrinxero brachiis.

9.

Ratum eſto ! Mille Vanitas Sannis, tuî
Proſequar illicii phaſmata, mille probris.
Te mancipatâ ſub Clientelæ jugum:
Inſequor æterni, lucra beata boni.
Abeſto, Vanitas ! Adeſto, Æternitas!
Te votô calidæ mentis anhelo piô.
Te quæro, te ſuſpiro: nî venias, mei
Excruciat cordis *plaga* dolore fibras.

10.

Fuge, Vanitas, quid auri
Modulamen inſuſurras?
Fugio: Beatitatis
Stabilis dehinc alumnus.
Ades! O! beata vita!
Animô cupita totô.
Doleo cor, atque mentem,
Quoadusque te prehendam.

11.

Hactenus, & ſatìs eſt, ô Mundi gloria, nutus
Obſervâſſe tuos; benevertant Numina, poſthac

Jugiter attritum me ſpebus inanibus, omni
Abdico Servitio. Te extremô, Cæca Voluptas,
Sed primô nunc, Vita, locô te colloco, Divûm
Ultima proſperitas: memori te mente libenter
Auferri patiar; modò Cælica vita medullis
Indivulſa meis conſtanter inhæreat olim.

12.

Te mille dignam ſuppliciis, ſacra
Deteſtor atrô carmine, Vanitas;
    Te, Vita mentis, mille dignam
        Jugis amator, anhelo votis.
Tu, Vita, fibras pectoris intimas
Præoccupaſti: Me ſtudium tui,
    Amórque cepit; ſed dolore,
        Da mihi te, niſi des, liqueſco.

13.

Vah! Stultiſſima Vanitas, abito
Ad Turcos, & ad extimos Tomitas;
Te fauſtiſſima, te, Beatitudo,
Suſpiro calidis ubique votis.
Te dulcis patriæ beata tellus,
Firmâ cogito mente, te requiro.
Donec te teneam (quouſque tandem
Te deſidero?) Sentiam dolores.

14.

Te, Virtutis obex, te, via leti,
    Vanitas, vitæ mala peſtis, odi;
Te vindex vitii, te, Schola Cæli,
    Puritas morum colo ſanctiorum;
Ad te, fixa quies cordis, anhelo,
    Te ſpei metam cupio beatæ;

Donec

Donec poſſideam te, mea Vita!
Intimo fibras crucior dolore.

15.

Tibi, Vanitas, ſupremùm
Execranda jam loquor,
Velut ultimum Valeto
Redditurus impiæ.
Dea te meæ ſaluto
Mentis, ò Beatitas!
O! Adeſto! Donec adſis;
Cor dolore lancinor.

16.

Illex vade retro, ſed procul, Exulum
Pœnâ, *Gangaridûm* longiùs extimæ
Aut tesqua Antipodum viſere patriæ,
I, Phantaſtica Vanitas!
Ad te ſolicitô, Gloria Cælitûm,
Suſpiro gemitu, Diva Beatitas;
Donec te cupidè ſtrinxero, languidô
Vitæ marceo ſpiritu.

17.

Improba te proculco, Voluptas,
Lugubrium genitrix malorum:
Inclyta te deſidero, conſtans
Meta beatificæ Salutis;
O! Ego vitaliſſima Vita!
Te calidô volo cordis æſtu!
Donec te poſſedero; pectus
Confodior jaculis dolorum.

18.

Mille ſarcaſmis, opifex dolorum,
Te contamino, Vanitas!
Mille ſed votis, genitrix honorum,
Te ſuſpiro, Beatitas!
Te ſinu circumfero glorioſæ
Mater vera Volupiæ;
Iatus affligor, quoadusque panſis
Te conſtrinxero brachiis.

19.

Te poſthac centum furiis comitto, Voluptas,
Te pariter Stygio conſecro, Munde, Jovi.
Te mea ſpes, mea ſors, te, Vita æterna, requiro.
Vita æterna, animæ plurima cura meæ.
Te ſuſpiro die, te, te deſidero nocte;
Imprimeris cordi, Vita beata, meo.
Usque igitur paſſas labi digneris in ulnas;
Diſtrahet aſſiduus pectora noſtra Dolor.

20.

Fuge, Vanitas, Averni, fuge, te ſacro Furiis,
Mundi plurima peſtis;
Amo te, volóque mentis cupidæ mera ſaties,
Divûm innoxia vita.
Rape me tuas ſub alas; cape me: nisì capias;
Elangueſco dolore;
Teneam meis in ulnis ego te: nisì teneam;
Triſti emarceo curâ.

21.

Correptus choleræ turbine, *Vanitas*,
Centum te Furiis trado: Perennitas,
Te ſtellantis Olympi
Centum mulceo baſiis.

Te

Te ſpecto memori mente, reconditam
*Circumvolvo* ſinu ſemper imaginem:
Dum te amplexibus *arctem;*
— Felix ter quater audiam.

22.

Mente ſtat proinde fixum;
Mille ſibilis procacem
Execrari Vanitatem;
Sed viciſſim mille Cælum nominare laudibus:
Te, Perennitas Olympi,
Gaudii corona, mentis
Unicum beamen, opto,
Te volo, veni; tenace nè dolore macerer.

23.

Non ſerviemus in rota *Molendini,*
Semel benignè ad *pileum* recenſiti.
Beata Sors eſt; ire, more *Liberti*
Ad æmulandum ſanctiora. Deſpecta
Jam nauſeatur *Vanitas:* perennantem
Beatitatis Cælicæ ardeo ſortem:
Illa, illa pectus occupavit, & mentem;
*Plango;* niſi teneam: ſi tenuero; *lætabor.*

# XXVIII.

Dich, ſchnœde Eytelkeit, will ich verfluchen;
Dich, liebe Ewigkeit, dich will ich ſuchen;
Dich, ſchœne Ewigkeit, trag ich im Hertzen:
Bis ich dich finde, mich quælen die Schmertzen.

# XXIX.

*Non, quod ſperamus, inane eſt.*



Hinc procul apage ! Deceptrix , Vanitas!
Te totô pectore volo , Æternitas!
Veni Æternitas ! Veni , Beatitas!
Perfecta Animæ , veni , Felicitas!

XXIX.

# XXIX.

## *Non, quod ſperamus, inane eſt.*

1.

Munde, Vale! Et nigros Mundi pete gloria *corvos;*
Æternaturas Mens mea poſcit opes.
Proſperitas Æterna, veni; non, quæſo, morare:
Æterna eſt properô, quam peto, meta gradu.

2.

Vale, valeto, Vanitas,
Eluſa quære corvos:
Veni, venito, Æternitas,
Te centies requiro:
Veni, veni, quantocyùs
Quantocyùs venito:
Ad te, morari neſcius
Feſtino, anhelo, curro.

3.

Scandalum vitæ, procul hinc recede,
Dux malignorum: pete, *luſca*, furcas,
Pabulum corvis, laniena milvis,
Eſca moloſſis.
Sed latus noſtrum propè tange, Cæli
Vita, felicis regionis index,
Mater innubis patriæ, cupiti
Gloria tecti.

4.

I, quid hæres? i, ſub Orcum,
O! probroſa Vanitas!

 I, volu-

I, volucrium nigrarum
I, Volupta, Pabulum.
O! beata vita cæli!
O! cupita Æternitas!
O! Veni, Veni! Tuî jam
En, amore langueo.

5.

Apage! ô Gehennæ pabulum, offa Cerberi,
*Exibilata* Vanitas.
Noſtrum vel abitum nunc dole, vel non dole;
Utùt ſit! eo tamen: Vale!
Te placida, cordis unicum lumen mei,
Te concupiſco, Æternitas!
Veni, ô beatæ portio ſortis, veni,
O! Cælitûm Beatitas!

6.

I, pete carnivoras, inſana Volupta, volucres,
Furciferásque trabes.
Te, te, noſtra ſalus, ardentibus ambio votis,
Patria dulcis, ave!
Rumpe moras, mea vita, veni! Citò rumpe ſupremas,
Vita cupita, moras.
Vita beata, veni! ſpem deſine fallere noſtram:
Vita beata, veni!

7.

Ades! ô! Ades, alma beatæ,
Hinc ambiendæ, Pædagoga vitæ!
Procul, ô! procul, eſto profani,
Hinc execrandi, Pantomima moris.
*Gyaros* pete, *Tigrin*, & Indos,
Magiſtra luxûs: Dux Beatitatis,

O!

O! Ades! Diuturna ſupremi,
Et primitivi plenitudo voti.

8.

Extremos pete, Vanitas,
Terrarum populos! Ad Gyaros abi,
*Thulen* exul ad ultimam:
Cæli deliciæ me ſibi vendicant.
Ohe! Vita beatior!
Exoptata veni! Rumpe moras, veni,
Æternans opulentia!
O! felix animæ ſpes, ades, Unica!

9.

Veſana, necdum, Vanitas, corvos petis?
Necdum, furcigerûm more, proterva, crucem?
Abi, in remotos *Bactrianorum* angulos;
I, cape ſub Thules triſtia tesqua fugam.
Excede, morum peſtis! In pulſæ ſubi
Exulis actutum, Cælica vita, locum.
Veni! Moraris? In meum amplexum rue;
Ætheris, en, tendo brachia, Vita, veni!

10.

Age; Vana pompa Mundi!
Pete barbaras paludes,
Scythicíque tesqua Ponti.
Tot inaniis repletus
Mihi nauſeatur Orbis.
Nihil opto, quàm beatum.
Ades, ô! beatitudo!
O! Ades beata Vita!

11.

Longiùs à noſtris oculis te proripe, Mundi
Luxus inanis, opum prurigo, ſuperbia Vitæ;

O ! Apage ! Incoſtans bonitas, *horaria* rerum
Inſatiabilium poſſeſſio, honoris imago
Decidui, & decoris perituri *Umbratile* punctum,
Ad Garamanta, malámque crucem. Te, Cælica Vitæ
Perpetuæ dulcedo, volo, cupióque; venito!
Tu deſiderii comple ſuſpiria noſtri.

12.

Procul remotos tollere, Vanitas,
Ad Bactrianos! *Paphlagonum* greges
Inviſe, ſeductrix cruentos
Inſidiis imitata *Parthos*.
Te ponderoſis, Diva Beatitas,
Suſpiro Votis! Labere cælitùs
Dulces in amplexus, meorum
Egeries animi dolorum.

13.

Et nondum Antipodas remotiores
Feſtinô properas, videre curſu?
Fautor pernicioſe Vanitatis,
Effrons Munde? Vale, vale ſupremùm!
Eheu! Spes ades Æviternitatis,
Fractis nobile mentibus levamen.
O! Dulcedo! Veni, veni, venito!
Jam me nil ſatiat, niſi æviternum.

14.

Ad Thules ego te teſqua relego,
Vanitas centum rapienda furcis.
Quà ſolis penetrant ſpicula nunquam,
Ligna detrudi barathri cavernis.
Te, te Cælitum portio, Divam
Advoco totis animi medullis:

O!

O ! ſperata veni gloria, noſtri
Pectoris votum, jaculique centrum.

15.

Apage ! O ! mali *propola*,
O ! Magiſtra criminum !
Crocodilici doloris
Sycophanta *Vanitas* !
Procul hinc ad *Africanæ*
Rupis antra, tollere;
Propior mihi viciſſim
Jungere, Æviternitas.

16.

Nectis : lenta, moras : I, fuge : libera
Mortales abiens interitûs metu,
Summi cauſa mali peſſima Vanitas,
Infamis trivenefica.
At tu, Cælicolûm dulcis amor, veni,
Vitæ temperies perpetuæ, meô
Adſtringenda ſinu, ſancta Beatitas,
*Cæiûs* mater Olympici.

17.

O ! Apage ! Ampulloſa barathri,
Sub putridam Styga, nundinatrix !
Tollere poſt Garamantas, & Indos,
Quâ *Lybis* urit arena plantas.
Te centum, te millibus, adſis,
Vita, repoſco beata votis :
Vana abigo, pede protero vana;
Cælica Vita, veni, venito !

18.

Tollere ad furcas, inimica recti;
Tandem tollere, Vanitas.
O! Rue in paſſas properanter ulnas,
Vitæ meta, Beatitas!
O! Veni! Noſtræ *Cynoſura* proræ,
Sidus Remigii, veni.
Obviis ô! ſpes melioris ævi,
Te complexibus oſculer.

19.

*Antipodas*, *Thulen*, *Gyaros*, *Garamantas* & *Indos*,
Munde, pete; ignivomis injiciende rogis.
Eſto, Volupta, procul; ſed nè pellaris ab orbe;
Ibis ad *infames*, lena cruenta, cruces.
Vita beata, veni! ſpes noſtra, quouſque moraris?
Eja! moleſtantes rumpito, Vita, moras.
Eja! Veni! ſperata diu, quid gaudia differs?
Summi Proſperitas ætheris, eja! Veni.

20.

Ad inhoſpitos *Gelonos*, Garamantas, & Arabes,
Exul perge, Volupta!
Amor æviternitatis ſibi me ſacer hilari
Totum vendicet ore.
Venio; veni viciſſim, mea ſola ſapiditas:
Ad te laſſus anhelo.
Amor! O! Veni, meô te foveam, ſine, gremiô;
En! Ut brachia tendam.

21.

Extremum *Tanain*, ſive remotior,
Exul *Parrhaſiæ* teſqua ſubi plagæ,
Abſtruſiſſima morum
Peſtis, ſontica Vanitas!

Te

Te ſuſpiro, mei cura, Beatitas!
O! felix animi! Te, propera, meas
Labi dulcis in ulnas;
Panſis obvio brachiis.

22.

Vade, perge, ſons Voluptas;
Quære longiùs remotos,
Exul Angulos Scytharum,
Præda corvis: i, malorum dogmatum *didaſcala*:
Tu ſerenæ norma mentis,
Vita Cælitûm, venito!
O! Veni! nihil morare!
Te requiro: te, piorum ſenſuum *Puerpera*.

23.

Jam proſequatur Vanitas meum fictis
Lacrymis receſſum: non vetabo, *larvatum*
Flere crocodilum; Hâc *formulâ* Valedico:
*Sit eſca corvis, & putreſcat in furca!*
Totis at animis expetita, votíſque
Beatitudo fervidis requiſita,
Dulcedo mentis, ô! Veni, ô Veni! Vitâ
Permuto mortem, Vanitate contemptâ.

# XXIX.

Pake dich, Eytelkeit! ſuche die Raben;
Komme, mein Ewigkeit! dich will ich haben:
Komme! ach komme! nit længer verweile;
Weil ich begierig zur Seeligkeit eyle.

XXX.

# XXX.

*Veniunt poſt fata Coronæ.*



Veni! Aut moriar præ curæ tædio;
Hoc tamen tædium erit pro gaudio;
Si me contigerit mori velociùs;
Æternæ patriæ reponar ocyùs.

# XXX.

## *Veniunt poſt fata Coronæ.*

I.

Ni venias; rumpet vitæ mihi ſtamina cura;
Attamen hæc etiam Cura, beata foret,
Si me Cura mori velocibus urgeat horis;
Ocyùs æternô perfruar inde Bonô.

2.

Quodſi morari ſuſtines;
Me Cura ſtrangulabit;
Sed cura non incommodat:
Multùm ſed illa prodeſt.
Si Cura vitam linquere
Maturiùs jubebit;
Ad æviterna præmia
Velociùs citabor.

3.

Ah! Veni conſtans, & amata dudum
Vita! Si tardes; Animi medullas
Lancinant Curæ; ſed habentur inter
Præmia, Curæ.
Eſto; contingat citiùs, moleſtis
Me mori curis; citiùs vocabor
Et boni æterni, & radiantis, Evax!
Ætheris Hæres.

4.

Ah! Veni! Vel cordis angor
Fila vitæ diſſecat:

Imò

Imò truncet, imò rumpat
Cura Vitæ vincula;
Si, quod opto, vîncla vitæ
Cordis Angor ſolverit;
Patriis *evinculatus*
Reddar aſtris ocyùs.

5.

Deſiderata millies, veni! ah! veni!
O! Cælitûm Beatitas!
Te cupio; Votis ni paciſcaris meis;
Cedam dolori victima.
Sed erit beatus angor, & felix dolor,
Si *Lacheſis* alternent vices:
Nam fata mortis antevertendo, juvant
Deô celeriùs me frui.

6.

Vita beata, veni! vel me citò languida coget
Solicitudo mori.
Ipſa tamen felix fuerit; Si cogat amatæ
Fata ſubire necis.
Nam ſi finiero præ ſolicitudine vitam
Abbreviante meam;
Ocyùs ad Vitam veniet mea vita beatam:
Vita beanda Deô.

7.

O! Ades; Nisi protinus adſis;
Internecinô elangueo dolore;
Verùm dolor iſte, beatæ
Nomen valebit vendicare ſortis:
Etenim properantiùs inſtans
Si vita multùm deſinat dolendô:

Citi-

Citiùs ſuper æthera tollar;
Abinde Cæli *municeps* futurus.

8.

Adſis, ergo, Beatitas!
Jam vitæ occiduæ nauſeo commoda.
Adſis! Aut ego pondere
Curarum moriar preſſus inutili.
Felix Cura tamen; quia,
Si Curæ faciant me citiùs mori;
Æterni citiùs boni
Pro voto facient denique compotem.

9.

O! Vita! Gemitu te, veni! ah! veni! Advoco;
Vita, mei Angoris certa medela, Veni!
Angor tyrannus, mentis in regnum furit;
Nì vindex Vitæ ſis, mea Vita; Veni!
Sed hinc *beatus* Angor; ùt properat necem:
Participem voti me jubet eſſe mei.
Si namque Mortis angor horam præcitat;
Spe citiùs, Cæli prendo *Senator* opes.

IO.

O! Ades! Beatitudo!
Secùs in dolore noſtram
Tibi victimabo vitam.
Tamen hic dolor beabit;
Citò ſcilicet ſolutus
Ego corporis catenis;
Citiùs ſimul cupitæ
Ero fauſtitatis Hæres.

II.

Vita, Veni! ſanctæque Spei, mentíſque beamen,
Atque animi *Stephonema* mei, latiéſque, quiéſque,

Pro-

Protinus, alma, Veni. Si porrò venire moraris;
Me deſiderii vehementia, Luctus, & Angor,
Et cæleſtis amor patriæ elangueſcere cogent
In ſubitum funus. Sed *felix* funeris hora,
Dum *citior*; citiùs quia me tranſcribet Olympo;
Ut fruar æternâ, poſt hæc Mortalia, vitâ.

12.

O! Vita Cæli! Terminus, ô ades
Angoris! Angor, nî venias, neci
Me tradet invitum; ſed Angor
Si perimat, titulum meretur
*Felicitatis*. Nempe Deô, ætheris
Æternus hoſpes, dum Lacheſis meæ
Incerta netrix, fila Vitæ
Præſciderit, fruar æviternûm.

13.

Dulcis Vita, veni! Moraris? Eheu!
Maturat mora tædioſa mortem:
Nam me Cura ferox perire cogit;
Si mortem accelerat, beata cura eſt:
Nimirum citior ſubibo fata,
Et Mundi quoque machinis ſolutus,
Et ſtultæ quoque Vanitatis *exlex*,
Felicem citiùs tenebo ſortem.

14.

O! Conſtans Superûm vita! Venito:
Aut diem, nî mox properes, obibis
Summûm Vita gravi exacta dolore.
O! Meæ ſalve bona cauſa mortis,
Suſpirate Dolor! Si mea Vitæ
Funeris noſtri anticipando lucem,

Tran-

Truncas fila priùs, quàm nigra *Clotho;*
Inter admittar prior Hoſpes Aſtra.

15.

Ades! O! Quies Olympi;
Aut dolore Spiritum
Miſeræ reſigno Vitæ!
Ni cupita veneris;
Sedenim beata ſors eſt,
Ante tempus emori:
Citò *mortuus*, repentè
Fio *Civis* Ætheris.

16.

Te ſucclamo: Veni! nì properes, Dolor,
Et deſiderium me vehemens tuî
Prorſus conficiet. Proximus interim
Morti, vix animam traho.
Sed felix Dolor eſt; ſi ſubitaneè
Vitæ fila ſecat, triſtis ùt *Atropos;*
Tunc Carnis *laqueis* erutus, ocyùs
Ad te ſpiritus *evolat.*

17.

Vita, veni dulciſſima noſtræ
Summa ſpei ſaties, venito!
Me properat, nisì veneris, angor
Exanimare; vicem beatam!
Nempe tuî ſi angore, & amore
Victima ſum properata mortis:
Tunc ſuperûm properantiùs Hoſpes
Sidereæ dominabor Aulæ.

18.

O ! Veni ! Curſu propera citatò
Sanctarum Dea Mentium!
Si moram nectas : dominatus Angor
In præcordia , ſpiritum
Auferet vitæ. Sed ! amicus angor;
Si præcordia ruperit
Ocyùs : ſcribar citiùs viciſſim
Cæli , plaudite ! municeps.

19.

Quod niſi , vix animam trahimus , quantocyùs adſis;
Abrumpet vitæ Stamina Cura meæ.
Felix Cura tamen ; quin feliciſſima Cura;
Quantumvis Lacheſis Cura obitura vices.
Nam ſi Cura hodie vitalia ſtamina rumpat;
Quæ tornat volucri ſtamina *Parca* colu:
Spiritus ætheriam penetrabo citiſſimus Aulam,
Hæres æterni, quô mea Vota, Boni.

20.

Venias , amata Vita ! en ! morior ; niſi venias;
Ah ! cur lenta moraris?
Bona Cura ; ſed tuî , me mihi tollit, ut obeam
Horam temporis ante.
Pia Cura , ſi meæ iſthâc ratione celeriùs
Vitæ fila ſecentur:
Citiùs beat cupitæ , quod opinor, animitùs
Me poſſeſſio vitæ.

21.

O ! Spes una, veni ! Rumpe moras: ſecùs
Ah ! deſideriò conficior tuî:
Sed dulce , exanimari, eſt,
Præ deſiderio tuî,

Si

Si filum Lacheſis ruperit ocyùs
Vitæ : ſpe citiùs corporis *oſſeis*
Mens raptabitur ad te,
Evax ! *Libera* nexibus.

22.

Ah ! Veni ; beata Vita,'
Sempiternitatis index!
Ah ! Veni ! Priùs Juventæ
Fila quàm cupido noſtræ cum dolore ruperit;
Sed tuî cupido felix,
O ! Beatitas ! Supremam
Si revelet mortis horam;
Promptiùs meas in ulnas ſtringo te, Beatitas!

23.

Veni, beata Vita! Si moram nectas,
Me mentis Angor, tædiúmque, curæque
Ad usque mortem præpotenter affligent.
Hæc ipſa tamen Afflictio vicem doni
Subibit : etenim triſtis Atropos vitæ
Si fila citiùs, ac veremur, abrumpat;
Celeriùs illuc Anima jugiter felix
Appellet ; Ubi Deo perenniter vivet.

# XXX.

Komme ; ſonſt muſs ich vor Kummer verſchmachten;
Doch iſt der Kummer für ſeelig zu achten,
Zwingt mich der Kummer geſchwinder zu ſterben,
Hilfft er mir ſchneller die Ewigkeit erben.

HEN-

# HENDECASYLLABI SAPPHICI.

Vanitate ſeducti ſumus. 2. Esdr. 1.

## PAEAN.

MActe Virtute, ô *Juvenis!* malignæ
Fraude detectâ Vitioſitatis
Viribus totis animi ſecute
Dogma, *Vertumnô* Monitore, morum.
Plaudo Victori: citò ferte palmas;
*Laureâ* claram redimite frontem.

*Vanitas* victam dat inermis herbam:
Sub triumphali pede laſſa torpet
Vis doli: *Vulpis* geniô remiſsô &
Pelle detractâ, patet archimimi
Falſitas Mundi: vigil in ruinam
Nominis, *larvam* poſuit *Voluptas.*

Macte fortunæ melioris eſto,
*Palladis* poſthac ſapiens Alumne!
Liberè clama: Mera fraudulentæ
Sunt Voluptatis ſimulacra doni.
*Felle* prælibat *mel* edule miſtum;
Et *roſas* offert; ſed aculeatas.

Nonne cryſtallus ſpecioſa largæ
Dona Fortunæ tibi viſa? Mundum
Fallere at vitri, docuit Magiſter
Antè *Vertumnus*, fragilis nitore.
*Decipit* Rerum *ſpecie*: *Falernum*
*Somniat* Potor: vigil hauſit *auram.*

Nonne theſauros lapidum propinat
*Hermus*, & *Ganges*? Micat *Unionum*
Gemmeô cenſu Pelagus: ſed, ecce!

Nunc

EYLFF-SYLBIGES
# LOB-LIED.
Wir ſeyn von der Eytelkeit verführet.
2. Esdr. 1.

WAchſe, mein *Jüngling*, nihme zu an Tugend,
Einiger Zierde Schul-erfahrner Jugend;
Weil, das dich nit mehr Uppigkeit ergötze,
Liebeſt *Vertumnens* Lehr-und Ehr-Geſætze.
Unſerem Sieger *Palmen-Æſte* bindet,
Reiſer von *Lorbeern* umb die Schlæffe windet.

*Eitelkeit* ſich nun giebet überwunden
Liſt-Gewalt iſt nach Sclaven-Art gebunden:
Welt-Betrug, ſo bishin vermummt geſteket
Hinder d m *Fucks-Balg*, dermahl iſt entdeket:
*Wolluſt*, die diebiſch Ehr und Nahm wegſchnappet,
Nun iſt erkanntlich, ohne *Larf* entkappet.

Blühe in Glükes ungekrænkter Wonne,
Du der *Kunſt-Gottin* Lehr-beglanzte Sonne;
Ruffe freymütig: Glük und Erde-Gütter
Blenden der Menſchen Augen, Hertz, Gemütter:
*Hœnig* mengt Wolluſt mit Getrænk von *Gallen;*
Dœrner ſtatt *Roſen* breche, dems gefallen.

Gelt ja? Cryſtall-rein die Geſchænke ſchimmern,
Welche die Glüks-Frau gibet? Ach! zu trümmern,
Saget *Vertumnus*, was aus Glas iſt, gehet;
Glæſerne Schœnheit ja nit lang beſtehet:
*Schein* ohne *Weſen;* Der im Schlaff verſunken,
Traumet vom *Waſſer*, und hat *Lufft* getrunken.

Schneken-Farb, Gold-Sand, allerhand Geſteine
Schüttet aus *Hermus; Orient* gibt feine
Perle, der Mænge, die im Meere ſchweben;

Nunc datos largô effluviô, notabis
Mox *reſorberi* maris Uniones,
Et repentinâ ſepeliri *abyſſô.*

Nonne Fortunæ rota viſa Mundi
*Pompa?* Felicem ter ad ampliora
Vota ſolantis genium, ſub iſta
*Regula:* Primi rota verſa motûs
Signet *aſcenſu* leviore lapſum;
Ut, quod it *ſurſum*, recidat *deorſum.*

Aut figuratus placeat rotundæ
Fabricæ Mundi-Globus, ob figuræ
Schema *perfectus? Vitioſus*, inquis,
Amodò doctus meliora, juxta
Scita Vertumni: Siquidem figura
*Præterit* Mundi levis, & *rotundi.*

*Pyxis* aut fictâ pretioſitate
Plena *Pandoræ*, cui favit omnis
Numinum Cœtus? Digitô flagellas?
Tinnit à longè Vacuum. Rigatur
Lacrymis orbis. Supereſt Bonorum
Sola *ſpes. Fauſtum* rapuêre Venti.

Sive dotatum Mare margaritis,
Et *glabri* ritu *ſpeculi* quietum?
Quando *Neptunus* choleram tridente
Lenè porrectô *Thetidis* coërcens
Sopit; *Immotum* timeamus *æquor:*
*Naufragos* amplô vomet ore *fluctus.*

Splen-

Nimme wahr; was kaum noch das Meer gegeben,
Scheinend, als hætt' es Perlen viel geſchænket,
Plœtzlich im *Abgrund* wieder alls *verſenket*.

*Welt-Pracht*, und Stoltzheit, übermüthigs Leben
Gleichet dem Glüks-Rad; pfleget zu erheben
Viel im Verlangen; zwar mit dem *Bedinge*:
Das, eh ſich Jemand in die Hœhe ſchwinge,
Denk' im *Aufſteigen* gæhe ſpring zu kürtzen,
Was *hinauf* klimmet, mus *herunder* ſtürtzen.

Wird an der Erd-form wegen ihrer Runden,
Auch etwas, das *vollkommener*, gefunden?
*Mangelhafft* iſt Sie, hogerich darneben,
Wie es *Vertumni* Sitten-Lehre geben.
Wann ſich die Welt-Form noch ſo *rund* befindet;
Doch ſie, wie Rauch, und Nebel-Dunſt *verſchwindet*.

Gleichet dem *Schreinlein*, ſo da der *Pandoren*,
Als für ein Gunſt-Gab *Jupiter* erkohren.
Wer mit dem Finger leiſe daran rühret,
Das es lær, und auch alles Ubel, ſpühret
Hæuffig aus ſelben in die Welt gezogen:
*Hoffnung* iſt übrig: *Gluk* im Wind verflogen.

Eitelkeit æhnet nach der *Spiegel-glatten*,
Silbernen Welt-See, da die Waſſer Matten
Ebnet, auch Schnee-Berg-hohe Wellen demmet
Umb ſich *Neptunus* und die *See-Wut* hemmet.
Læſt ſich doch ſorgen, ob nit *Abgrunds-Stille*
Bald nach ſich führe *Wetter-Sturms-Gebrulle*.

Splendor aut feſti radioſus ignis
Nocte ſubluſtri jaculans rotatas
Lampadum ritu per inane ſtellas?
Fulgur aut flammâ celeri, per amplum
Atrium Cæli ſtrepere coruſcum?
Deſinit *fumo* prior; hoc *Tonitru*.

Comicæ Scenæ ſimulat *Theatrum*,
Cujus eſt, naſci, *prologus*, morique
*Exodus*: quivis at Homo *Tragœdus*,
Hiſtrio Mundus. Quis agit ſub Æqui
Lege Perſonam ſinè *ceſpitando*?
Nempe *cupreſſum* ſimulamus omnes.

Nonne ſunt dulces numeri Voluptæ
Oda *Sirenum*? Cave, Nauta, cantus;
Nè procelloſô tumulère Ponto.
Eſt *Cygni* Mundus canor; at, ſequetur
*Præficæ* luctus modulos, & illum
Funebris, Cygnô moriente, *Leſſus*.

Macte præclaræ Pietatis eſto!
Eja! *Vertumni* moderatiores
Dogmatum leges imitatus almæ
Palladis Cultor, decus & Juventæ.
Perge, quod calcas, *iter* æviternæ
Gloriæ ad celſas & *honoris* arces.

Dicet in laudem ſpatioſa de te
*Fama*, ſermones agitans: Hic eſt, quem
*Vanitas* olim Juveni negatô
More *ſeduxit*: Probiore ſuaſu
Nunc ad exactæ genuina rurſum
*Caſtra Virtutis Pietas reduxit*.

Flammendem Kunſt-Feur ſich die Luſt vergleichet,
Wo das Rachetel weder Sternen weichet;
Oder eim Blitz-Strahl, der im huy die Grætzen
Unſeres Sehens kan mit Licht beglæntzen.
Dampff und *Rauch* jenem mus den *Garaus* machen:
Dieſer verurſacht *Donner-Wetter*-Krachen.

Gaukel-Schau-Luſt-Spiel will die Welt dargeben,
Deſſen *Vorred'* heiſt: Seyn; und nit mehr leben
Heiſst der *Schluß*. Spieler, von verſchidnen Stænder,
Helffen das Traur-Spiel klag-und heulend enden.
Alle *Spiel-Fehler* will nit jeder meyden;
Jeder mit *Lob* doch von der Bühne ſcheiden.

Singt nit die Wolluſt linde, wie *Sirenen*,
Die ob dem Sud-Meer ihr Geſang' erthœnen.
Hüte dich, Schiffer, vor Gefahr! ſie klingen
Süſſer, als *Schwanen*; aber unterm ſingen,
Hœrt man auf frohe Melodey hinwider
Traurig-, mit kurtzem, ſage, *Toden-Lieder*.

Wachſe an Frommkeit, edler Seelen-Gaben,
Deren ein Zierde, ſo erwæhlet haben
Unſers *Vertumnus* Maſs-Geſatz der Jugend
Einzuverleiben, als ein Trieb zur Tugend.
Fahre fort alſo, wie du angefangen,
Diſs iſt der *Weeg*, zur *Ehre* zu gelangen.

*Fama*, die manchen hat mit Ruhm erhoben,
Wird dich nit minder über alle loben,
Dieſer iſts, ſprechend, der ehmahl gefangen;
Aber doch jetzt der *Eitelkeit* entgangen.
Im *Tugend-Lager*, wo die *Frommkeit* lohnet
Ihre Kriegs-Leut', Er bis ans Ende wohnet.

Zum Theil

# EYLFF-SYLBIGER DOLLMETSCH.

*Vertumnus* hat der Eytelkeit zum Poſſen,
Als er bisher vom Welt-Betrug gehandlet,
Dem eytlen Glük, zu trutz! ganz unverdroſſen
In *vielerley* Geſtalten ſich verwandlet:
So, daſs er kaum ſich ſelbſten kennte mehr,
Wann nicht gewiſs; daſs er *Vertumnus* wær.

Bald trittet er herein auf *ſo viel* Füſſen,
Als viel man an dem *Helden-Bande* zehlet:
Bald will er ſich umb *zwey* gemindert wiſſen;
Bald einen *kurtz*, den andern *lang* erwöhlet:
Jezt ſtellt er ſich in *alter* Kleydung dar;
In *Neuer* jezt, ſo eh nie brauchbar war.

Jetzt *lauffet* er mit weit-geſpannten Schritten;
Jezt *zielet* er mit trægem Gang die Sohlen:
Nun *ſpringet* er, als Klepper, ſo beritten;
Nun *hupffet* er, als Hahn, durch heiſſe Kohlen:
Offt *gehet* er den rechten Mannes-Gang:
Dann *hinket* er abſeits, doch währts nit lang.

Jetzt *ſtrekt* er ſich, gleich einem hohen Riſen,
Der unterm Volk nit leichtlich zu verbergen;
Jezt macht er ſich ſo *klein*, als nie vor diſen,
Gleich einem drey-Vier-Spanne langen Zwergen;
Doch noch ſo klein, und kurtz zuſamm *gekrümmt*,
Der Eytelkeit zu Spott, ſein' *Harfe* ſtimmt.

Bald kommt er, wie *Anacreon* der Alte,
Bald will er ſich, wie jene *Sappho*, kleyden:
Sein Vortheil iſt, daſs er ſich offt *vergſtalte*,

In

# INTERPRES.

*Vertumnus*, ille Vanitatis Proditor,
Hactenus in magicam
Exæſtuans Volupiam;
Quàm *multiformes* induit vultus, ſuo,
Et ſibi diſſimiles!
Noſcendus ægrè fratribus.

Herois inſtar *ſex* modô ingreditur; modò
Vix *quatuor* pedibus,
Minor *duobus*, advolat;
Nunc veſte *longâ*, nunc *brevi* incedit, *novô*
Nempe ſagô; *veteri*
Nunc Palliô *Calliſthenis*.

Nunc *currit* amplis paſſibus celer, gradu
Mox dubiô *titubat*:
Nunc more galli, nunc equi
Greſſu ſuperbus *proſilit*: *curſum* viri
Jam celeris ſimulat;
Hinc, inde, rurſus *claudicat*.

Nunc ùt ſtaturæ mole *ſublimis* gigas:
Jam ſpithamæus adeſt
*Nanus*, pugilli portio:
Sed in puſillum utcunque *contractus*, *lyrâ*,
Et lituô opprobrium
*Mas* Vanitatis intonat.

*Anacreontis* ore nunc barbam refert;
Nunc nitidâ perhibet
Malâ Puellam *Lesbiam*:

In Woll jezund, und bald darauf in Seyden;
Kehr' umb ein Hand, iſt er ein *Galliamb*,
Ein *Lævv* jezund; im Augenblik ein *Lamb.*

*Vertumnus*, als *Hipponax*, ſchimpfft das Weſen
Der Eytelkeit, und macht aus ihr Gelæchter,
Da iſt er, wie *Euripides* geweſen,
Ein Wolluſt-Feind, und Nüchterkeit-Verfechter:
Jezt ſtichelt er, verlarffet, wie *Horatz*;
Jezt ſchmæhet er, vermummt, wie *Pherecratz*.

Nun klaget er mit jenen Trauer-*Reimen*,
Die *Naſo* hat zu *Tomis* eh gebunden,
Das Eytelkeit ſich gleiche læhren Træumen;
Als dero Pomp offt mit dem *Schlaff* verſchwunden:
Jezt ſpricht er Hohn dem eytlen Glükes-Haupt,
Das kaum erſcheint; im Augenblik verſtaubt.

Er hat hiemit ſich ſeiner *Art* befliſſen,
Durch *vielerley* Vers-Sorten der Poëten,
Der Eytelkeit zu rühren das Gewiſſen;
Ob etwann ſie ſich wolte Scham-erröten:
Doch wæhlet Er die Schreib-Art in *Latein*;
Das dero Liſt ſoll' unbekannter ſeyn.

Dann ſolt' er ihr ein *Teutſche* Predig machen,
Und den Betrug in *Mutter-Sprach* erklæren;
Müſt' jeder Stand ihr' *Uppigkeit* belachen,
Mit welcher ſie ſucht alle zu bethœren:
Nimmt dann zur Hand Beſcheidenheit und Glimpff;
Und *rettet* ſie vom allgemeinen Schimpff.

Gleich wolt' er eh durch gütiges *Mitleyden*
Die *Wunde* mit gelindem *Pflaſter* heylen;
Bevor es zeit, durch *brennen*, ſtech- und ſchneiden

Die

Nunc *Galliambi* Cantor imitatur modos;
Mox *Leo* grandè rugit;
Par balat *Agno* menſtruo.

Jam Vanitatis, alter *Hipponax*, ſacro
Aut gravis *Euripides*,
Exponit arrhas riſui:
Hoſtis Voluptæ, & ſobriæ præco gulæ,
Dente vel *Archilochi*,
*Horatiive* morſicans.

Jam luctuoſum, ùt *Naſo*, lamentum ciet,
Triſtibus ac *Elegis*
Illacrymatus, gloriam
Mundi vagorum *Somniorum* anxiis
Verus imaginibus
Vates futuri comparat.

Pro more *genii* varius, egit carmine
Tam *variò* fatuæ
Notarium Volupiæ:
Num Vanitatis forſan *erubeſceret*
Quisquilias? *Latiò*
Sermone pulmonem fricat.

Inebriâſſet *Teutonum* planâ phraſi
Admonitor calamum, &
*Vernaculæ* vocabulis;
Toti pateret patriæ *veſania;*
*Dedecus*, oppoſitâ
Diſcretione, *mitigat.*

Ceû putre *vulnus* (antequam *cremet*, aut ſecet
Horrificè Medicus;
Plagámque vix curabilem

Die ſtrenge Cur vergiffter Laſter-Beulen,
Woraus entſteht der kalt und heiſſe *Brand*,
Ja Tods-Gefahr; zu nehmen vor die Hand.

Weil Eytelkeit doch hartes Sinnes bleibet,
(Obſchon mit ernſt- und offentlichen Klagen
Man dero Schuld *klar* in die Augen reibet;
Als die man mus mit ſcharffer *Lauge* zwagen.)
Auch immerfort im hellen Tage *lügt*,
Und ihr Gefolg' ins Tauſende *betrügt*:

Zwar alſo, das, gleich einer frechen *Dirne*,
Sie ganz *verſtokt* in dero Sinn und Hertzen
Die Straff aufnimmt, mit unentfærbter Stirne;
Als wär mit dem, was *Heyl* betrifft, *zu ſchertzen*;
Es ſing' und geig' Ihr *Warheit* der Poët,
Doch Eytelkeit dem Lugen-Thon nachgeht.

*Vertumnus* dann, wo treuer *Rath* nichts früchtet,
Bey ſtarrem Sinn, will neuen Wechſel üben,
Und zeigen, wie er *eytles* Thun vernichtet,
Auch ſchlüſsig ſey, was Himmliſch, nur zu lieben;
Ja wende ſich von dem, was Erd und *Koth*,
Zu dem allein, was *Ewig*-ſchœn, wie GOtt:

So laſſet Er die Lari-fari-*Waaren*,
Welch' Eytelkeit gantz' Hænd-voll *ausgeſprenget*;
Aus *Helden* Geiſt und Muth auf einmahl fahren,
Und blos allein ſich an das *Ewig'* hænget:
Verachtet *Gluk*, Geld, Adel, Schœnheit, Pracht;
Und rufft zulezt: *Welt-weſen! Gute Nacht.*

*Welt-*

Depaſcat *ignis*, intus & extra, *Sacer*)
Archiater *foveat*
Mellifluô *malagmate.*

At! Vanitate (cujus exceſſus, juvat,
Improperare palàm,
Meritos ſuum *lixivium.*)
Sic obſtinatâ; ut pertinax *mendaciis*,
Præſtigiiſque vacet,
Et mille *fraudum* machinis:

Convicta culpæ, crimina, *meretriciâ*
Fronte, oculiſque vagis
Patiatur *effrons* objici:
Tam voce Vates, quam lyrâ *verum* ſonet:
Inveterata malis,
*Ridet ſalubre* Vanitas.

*Vertumnus* igitur *conſilì* venundatâ
Candidiore fide,
Se *Tranſituris* abdicans,
Terrena calcat dona *lutulenti* Boni,
Ex animo *Ætheriis*
Pòſt conſecrandus præmiis.

Peſſumdat ergo Vanitatis *ludicra*,
Divite *ſparſa* manu,
*Vertumnus altô* ſpiritu;
Victurus exhinc *Cœlicis*; *fortunæ* opes
Projicit; ingeminans:
*Valeto, Mundi Gloria!*

*Welt - Eytelkeit* ! Dem *Graß* dein' Ehre gleichet, (*a*)
Die ſchon verwelcht, eh das ſie kaum geblühet;
Biſt *Blumen* - Art; Geruch und Farb entweichet (*b*)
Von dir, eh man die Abend - Röthe ſihet:
Ein *Schaum*, ein *Rauch*, ein *Dampff* iſt deine Macht; (*c. d. e*)
Verſchwindet, gleich dem *Schatten*. *Gute Nacht*! (*f*)

*Welt - Eytelkeit* ! Dein Glük behend weg eylet,
Eim *Botten* gleich durchwandrend Täg' und Stundē; (*g*)
Eylt, als ein *Pfeil*, der ſich im Flug nit weilet, (*h*)
Schieſt fort, bis er ſein Merkmahl hat gefunden;
Gleichwie das *Eys* mit platzen bricht und kracht, (*i*)
Auch ſo dein Glük zerſchnellet. *Gute Nacht!*

*Welt - Eytelkeit* ! Dein Schœnheit minder ſtehet,
Als je ein *Schiff* vom Ruder fortgetrieben; (*k*)
Wie *Nebel* - Reiſs dein' Herrlichkeit vergehet; (*l*)
Biſt, was vom *Thon* nur über iſt geblieben: (*m*)
Dein Adel daurt nur mit der Morgen - *Wacht*; (*n*)
Dein Stærk iſt *Staub* und *Wind*-Braus. *Gute Nacht*. (*o. p.*)

*Welt - Eytelkeit* ! Ein *Spiel* und Traur - *Gedichte*, (*q. r.*)
Das öffter ſich mit Klag - und Heulen ſchlieſſet,
Ein Hanff - *Gewreb*, ein *Ball*, von keim Gewichte, (*s. t.*)
Ein *Adler*- Flug, ein *Bliz*, der gleich verſchieſſet (*u. x.*)
Ein *Ampel*-Licht, daran und Flamm und Dacht (*y*)
Im *Augenblik* erlöſchet. *Gute Nacht!* (*z*)

(*a*) Pſ. 89. v. 6 (*b*) Iſa. 40. v. 6. (*c*) Sap. 5. v. 15. (*d*) Pſ. 101. v. 4. (*e*) Jac. 4. v 15. (*f*) Job. 8. v. 9. (*g*) ib. 9. 25. (*h*) Sap. 5. v. 12. (*i*) Sap. 6. v. 29. (*k*) Job. 9. v. 29. (*l*) Sap. 2. v. 3. (*m*) Pſ. 9. v. 8. (*n*) Luc. 12. v. 38.

O! *Vanitas!* Eſt *Herba* Mundanus Tumor; (*a*)
Aruit, ùt viruit,
Et *floris* inſtar marcuit: (*b*)
Eſt *ſpuma*, *fumus*, ſæculi Potentia, (*c. d.*)
Eſt *Vapor* in nihilum, (*e*)
Ut *Umbra* vaneſcens. *Vale!* (*f*)

O! *Vanitas!* Ut *Curſor* accelerat viam, (*g*)
Utque *ſagitta* volat; (*h*)
Sic ſæculi felicitas:
Repentè *Glacies* rumpitur; tum diffluit: (*i*)
Sic tua præproperè
Fortuna rareſcit. *Vale!*

O! *Vanitas!* En, Pulchritudo transmeat
Ut *Ratis*, ùt *Nebula* (*k. l.*)
Diſparet omnis Gloria:
Menſura pompæ quid? *Sonitus* & *Vigilia*; (*m.n.*)
Nobilitatis imago-
-*Pulvis* & *Ventus*. *Vale!* (*o. p.*)

O! *Vanitas!* Et *Luſus*, & Tragœdiæ (*q*)
Flebile *Carmen*, & es (*r*)
*Textura*, & es levis *Pila*: (*s. t.*)
*Aquila* volatus, *fulgur* ad punctum micans: (*u. x.*)
*Lampas* in ictu oculi (*y*)
Extincta; *Momentum* es. *Vale!* (*z*)

(*o*) Pſal. 1. v. 4. (*p*) Job. 7. v. 7. (*q.*) Sap. 15. v. 12. (*r*) Eccl. 20. v. 21. (*s*) Job 7 v. 6. (*t*) Iſa. 22. v 18. (*u*) Job. 9 v. 25. (*x*) Lucæ 10. v. 18. (*y*) Pſal. 13. v. 19. (*z*) Job. 21, v. 13,

Mundi enim Hilaria æquivalent
*Puncto:*
juxta illud Job. 20. v. 5.
Gaudium Hypocritæ ad inſtar
*Puncti.*
At vero;
commentante S. Bonavent. Soliloq. 2.
*Hypocrita eſt hic Mundus,*
cujus gaudium eſt ad inſtar
*Puncti;*
Quod nec *longum* eſt, nec *latum* eſt:
Nec *Altum* êſt, nec *profundum* eſt.
Vîdelicet,
ut Corderius in Job,
Non eſt longum; quia nullam ferè diuturnitatem habet:
Non eſt latum: quia nullam cordis dilatationem,
Sed amaritudinem habet:
Non eſt Altum; quia nihil cæleſte habet;
Non eſt profundum, quia nullas radices habet:
Tanquam ſit Vana Brevitas, Brevis Vanitas
Mundi, & Vitæ
*Punctum.*
Uti haud abſonè diſcurrit D. Gregorius
Super Verba Eccl. 3 v. 2.
Hoc modo:
Tempus naſcendi, (dicit Salomon) tempus moriendi
non dicit in medio:
*Tempus vivendi;*
Quia Vita, Tempus non eſt, ſed tantùm, Temporis
*Punctum.*
Cum generatione copulavit Mortem:
Copula inter Nativitatem, & Mortem,
*Punctum vitæ eſt.*

Et

Et hinc

Liber *Primus* Moyſis vocatur , *Geneſis* ; & Liber *Secundus* Moyſis vocatur, *Exodus*, ſeu Exitus;

Ut ille, qui legit lib. Geneſis, ſtatim cogitet Exitum;

Et recogitet:

Sicut intra lib. Geneſis, & Exodi non datur niſi Unicum

*Punctum ;*

Ità inter Generationem ad hanc vitam, & Exitum ex hac vita,

Non datur, niſi Vita, tanquam

*Punctum :*

Accommodè dudum Seneca l. 6. Ep. 49.

*Punctum eſt , quod vivimus , & adhuc Puncto minùs.*

Unde fruſtra Mundani, Sap. 2.

Super Mundi deliciis:

*Venite* ! - - Relinquamus *Ubique* ſigna lætitiæ; quoniam hæc eſt *Pars* noſtra.

Quomodo Pars: ſi Mundus *Punctum* eſt?

Et *Punctum* eſt; cujus Pars *nulla*?

*Punctum eſt , quod vivimus.*

Qua de cauſa

concinnè Senec. ad Mundi Dominatores, Præfat. Natural Quæſt.

Et hoc eſt illud *Punctum* , in quo Regna diſponitis:

Hoc eſt illud *Punctum*,

Quod inter tot gentes ferrô & igne dividitur:

*Vah* ! *Punctum* !

Quidnî exclamare delectet?

Ergo! jam Mundi *ſpes* , & *Fortuna Valete*!

Nec non *Moriano* adijcere?

Inane Famæ, & Gloriæ

*Punctum* , *Vale* !

*Pun-*

*Punctum, Vale!*

O! *Munde*, {
Bullæ ludicræ ſplendor,
Sterilis Patriæ Luctus,
Præcox Gaudii Turbo,
Turpis jurgii ſedes,
Faſtûs grande Portentum,
Probri clare Præceptor,
Tragicæ Fabulæ Ludus,
Veri mæſte Veſpillo,
Vanæ Gloriæ *Punctum*,
} *Vale!*

O! *Munde*, {
Demens Ethicæ ſpretor,
Parvæ Laudis Idolum,
Caſſæ Copiæ pondus,
Cæcæ Ludio Scenæ,
Recti triſtis Occaſus,
Honorum ſtulte Venator,
Crebræ Febris augmentum,
Mundæ Paginæ labes,
Curvæ Lineæ *Punctum*,
} *Vale!*

O! *Munde*, {
Pacis note Turbator,
Scelerum turpe ſpeleum,
Longæ næniæ Præco,
Rixæ fortis Incentor,
Luctûs Curiæ Præſes,
Vaſtum fraudis exemplar,
Pinguis blatta fortunæ,
Pravæ Regulæ Canon,
Rupti Circuli *Punctum*,
} *Vale!*

*Punc-*

*Punctum, Vale!*

Lucri large Decoctor,
Grandis debiti Prædes,
Regum purpuræ Vermis,
Vivæ Laureæ uredo,
*O! Munde,* Nugax ſcandali fautor, *Vale!*
Duræ Muſicæ Rector,
Luxûs blande Tibicen,
Stillans clepſydræ pulvis,
Volucris Aleæ *Punctum,*

Pictæ machinæ fulgor,
Rauci Tympani Rhonchus,
Maſſæ fumeæ nubes,
Juvenum dulce tormentum
*O! Munde,* Sani Spiritûs philtrum *Vale!*
Mendax leg s Interpres,
Juris barde jugulator,
Magni Nominis Caupo,
Fictæ giatiæ *Punctum,*

Fallax mutui Campſor,
Sanctæ prædo Virtutis
Tetra ſomnii proles,
Segnis halitûs Echo.
*O! Munde,* Jugis criminum plaſtes, *Vale!*
Famæ luſce Decimator,
Salſæ lacrymæ torrens,
Vitæ ſuave momentum,
Modicū temporis *Punctū.*

XXXI.

# XXXI.

*Ut Videam!*



Tot inter Sæculi vana deliria,
Ad Cælos evolant mea ſuſpiria:
    Hic eſt inanium Palæſtra fraudium,
    Illic perpetuum in Deo gaudium.

# XXXI.

*Summi vis ultima Voti:*

Ut videam!

Des

Von der Welt - Eytelkeit abgekehrt- und zum Himmliſchen ganz bekehrten

# VERTUMNI,

Nach Göttlicher Schœnheit - Liebe innbrünſtiger Begierden

## Endliche Wunſch - Verwandlung.

* * *

O! Werther Hertzen - GOtt! Dir will ichs frey bekennen:
Das, wann im Aufwerts - ſehn, ich oben ſchaue rennen,
Auf blau - geſtreckter Hayd' hell - lichte Ster-nen - Zahl,
In zierlich - ſchöner Reyh; So werd' ich je-desmahl
Gleich aus dem Leib - gehebt; faſt auſſer meiner Sinnen:
Dann ſonder - groſſen Luſt das Auge will gewin-nen
Ob ſolchem Sternen - Glantz: Doch ſie mir dun-kel ſeyn;
Wann du, mein Seelen - Licht, mir plœtzlich falleſt ein.

* * *

Lux Animæ! Fateor; juvat id ſinè teſte fateri:
Sæpe meos oculos ſtelleus Axis habet.

Sæpe,

Sæpe, redux ignes ubi paſcit Luna minores,
    Intueor nitidos, hâc vigilante, greges.
Et video (ſpectâcla trahunt) ſuper æthera ferri
    Præpete ſidereos mobilitate globos.
Ignis hic Occaſum, revolutus hic ignis ad Ortum
    Emicat, & memet ſplendor utrinque rapit.
Attinet aſpectum jubar illud, & illud, & illud:
    O! Jubar! O! oculis blanda volupta meis.
O! Quoties animo, Salvete, ô! Sidera! dixi:
    Sidera, tam gratas ejaculata faces.
Dedico nocturnas veſtris ego raptibus horas;
    Quâ licuit, fixâ vos quoque fronte ſequor.
Totô animi ſenſu ſublatus in æthera, ſtellas
    Continuabam, oculis deperiiſſe meis.
Lumina ſed poſtquam paulò ſubduximus Aſtris;
    A Domino Memores Aſtra creata Deo:
Túque meum ſubiiſti animum, *Pulcherrime rerum*,
    Torpuerant ſtupidô ſidera quæque ſitu.
Nempe tuo ſtellas perſtringis lumine & æther
    A te, quos radios ejaculatur, habet.
Te ſinè plena Meri-Lux emoritura-diei
    Nox eſt, & tenebræ fulgetra ſolis erunt.
Inde, Valete, imò gemitu queror, Aſtra, Valete;
    Pulchrior, Aſtra, Deus, qui fabricavit, adeſt.

* *
*

Wann jezt verzehret hat durch Weſtens lindes Blaſen,
Der Frühling Eys und Schnee; ja ſchon der zarte Waſen

Statt

Statt rauhen Winters-Reyff, mit Thau-Perlen
benetzt:
Und ſich Wald, Berg' und Feld im Grünen friſch
ergötzt;
Iſts zwar ein edler Luſt, die Matten prangen ſe-
hen;
Und jedes Garten-Gwächs in Frühlings-Kleidung
ſtehen;
Doch wann im Gegentheil, ich dich, ô GOtt,
anſchau:
Ein Bettler-Mantel iſt das Kleid der Blumen-
Frau.

* *
*

Tam mihi pulcher ades, tam comi fulgidus ore;
Ut venerer totô cultiùs orbe nihil.
Non Cælum, non Terra tuo collata decori,
Ullum, ſi ſapiat, dicet, habere decus.
Quantumvis dum Veris honos renovatur, odorûm
Florida per nemorum caſtra propinet opes.
Namque ubi floriparô Zephyri tepet aura ſuſurrô,
Ad ſonitum cujus gleba nivoſa, pavet:
Bruma fugit, ſecúmque nives, glaciémque, gelúque
Exul ad Antipodas turpiter acta trahit.
Stiria fit tenerô tenuis glomeramine nimbus.
Nix pluvia, & glacies, rósque pruina, vadum.
Tunc in guttarum gemmas rigor ille liqueſcit;
Mollior & gremium ſub pede laxat humus:

Ut

Ut vernô fulgore nitent pomaria, luci,
Areolæ, campi, jugera, prata, nemus:
Sic ego deliciis Hortenſibus occupor; ut jam
Eſſe merus vellem Naſus, & eſſe oculus.
Quis ſinè nectarea poterit ſpectare Volupta,
Hortorum in cultu multicolore Deam?
Illa ſuis redimita roſis, redimita liguſtris,
Quà patet æthra, novi gaudia veris agit.
Hinc florum Dominæ delector olentibus herbis,
Præ rerum pretio lumina fixus humi.
Hæc ſed ùt attollo, facturæ ab imagine doctus,
Eſſe operis Dominum, te, Deus alme, ſuum:
Sordet humus, roſeô quamvis imbuta colore:
Nulla placent oculis lilia, nulla Roſa.
Quidquid in Aonia pretioſum eſt Chloride cultûs;
Centonem Codri pauperioris olet.
Ad ſpeciem conferre tuam qui cœperit, illi
Cum Zephyro, Veris Præſide, Flora putret.

* *
*

Da ſich mein Augen - Licht aus Unbedacht vergiſſet,
Auf ſchœnes Angeſicht mit Bliken umbher ſchiſſet:
Bald ſchwing' ich, in der Zeit, das Hertz zu dir, ô Herr!
Und laſſe, das es ſich mit ſolcher Red' erklær;

O!

O! Himmels-ſchœne Luſt! Alls Irrdiſch dir zugegen,
Iſt, wie man Glas am Werth mit Perlen ſolte wægen.
Von nun an ſey mein Schutz, ô Herr! und mein Gemüth
Vor Menſchen-Schœnheit-Lieb, weils Leben währt, behüt.

* *
*

Sic quoque dum volucres (nequeo cohibere volantes)
Excurrunt oculi, præcipitésque ruunt:
Inque peregrinam rapiuntur Imaginis umbram,
Inclyta cuî locuples imbuit ora color:
Attonito primùm ſimiles, dulcedine formæ
Pellecti, ín pretium deînde nitoris eunt.
Scilicet & ſtibium, & ceruſſa, & purpura, & oſtrum
Indicunt Cypriæ mutua bella Deæ.
At; nè Prædones oculi cor amore fatigent;
Ad te, Magne, celer ſubvolo mente, Deus.
Jámque ubi collectô ſpeculor tua lumina ſenſu;
Te ſubitò propriâ diligo plùs Animâ.
Intus ego penetrale tuî correptus amore
Ignitas calidâ nutrio mente faces.
Et quoniam vehemens Amor eſt, erumpere tentat
Vividâ pectoreô flammula clauſa ſinu.
Nemo vetat, ſancti laxantur Amoris habenæ;
Ut tacitô de te ſic ego corde querar:

Belle

Belle Deus! Mundi Decor Unice! Cetera vileat
Pulchra, decus ſuperat ſingula pulchra tuum.
Tu decus es Mundi; ſcis, cur his vocibus utar:
Nemo poteſt decori par reputare tuo.
Imò poteſt; ſed non aliter, quàm qualiter ægrè
Par reputaretur Lydia gemma vitro.
Inde fit, ut noſtræ, robur ſuperadjice menti,
Nullus in Humano rideat ore color.
Tu meus unus Amor, ſanctè faſtidia ſerva;
Tu tibi juratam fac tueâre fidem.
Nec ſinè ut illaqueer, vel cor, vel lumina captus,
Mortalis fragili Nobilitate genæ.

* *
*

Nein, nein! Mit allem Schmünk viel reich-beſalbte Wangen
Die, truz der Schœnſten dort im Reich der Griechen prangen,
Mich ſollen reizen nie: Dann mir ein ſolche G'ſtalt,
Die zeit-und ſterblich iſt, am mindſten nicht gefalt.
Dein Angeſicht, ô GOtt! will ich; dis ſuch ich immer,
Vor dem der Mond erblaſst, wann er im vollen Schimmer:
Dem gar die Sonne ſelbſt mit ihren Strahlen weicht;
Als die, ſamt allem Glantz, dir kaum das Waſſer reicht.

Tyn-

Tyndaris ut noſtros ſibi vendicet, (abſit!) Amores;
    Faſcinet haud oculos ulla Corinna meos.
Quæ facies aliquando perit, ſeniíque lituras
    Imbibit, inviſis dedecoroſa notis:
Illa meum, deteſtor enim, deſperet amorem;
    Mala, tuis annis interitura, Vale!
Immortale jubar, ſpeciem candore ſerenam,
    Et ſtabili pulchram conditione volo.
O! Deus! Eja! tuum cupientibus exere vultum;
    In quo Terra ſui nil ſibi juris habet.
Hunc volo, cui medii lux aſſimilata diei
    Ocyùs in tenebras, quàm timeatur, abit.
Hunc volo, qui reprimit ſpecioſæ lumina Phœbes,
    Ceû plenô reprimi cernimus Aſtra die.
Hunc volo, quem fuſis Titan ſplendoribus ardet;
    Atque ſuum, poſitô crine, fatetur herum.
Hunc ego, non alium cupidè peto cernere vultum;
    Sive tuî ſimilem porrige, ſive tuum.
Tunc ego millenos præ te contemno Planetas:
    Tunc Stellata tuos, Cynthia, temno greges.
Nolo, vibrent tremulas Ledæ duo ſidera flammas;
    Nolo, mihi radiis luceat Ara ſuis.
Clare tuas, Cygne, conde faces, tua lumina Cepheû;
    Abde coronigeras, Caſſiopea, comas.
Phoſphorus igne mihi, neque fulgeat Heſperus igne;
    Non Helice in tenebris, quà Cynoſura, micet.
Namque ego Cimmeriis revagabor opacus in umbris;
    Et tamen Umbra meum non prohibebit iter.
Quippe fugas obſcura tuô, Deus, omnia vultu;
    Et ſtabili noctis ſqualida luce beas.

N Diſpe-

Diſpereant Stellæ ; fracti ruat axis Olympi :
Lux mea ! Tu, Phœbe : Tu mihi, Phœbus eris.

* *
*

O ! GOtt ! Uneingewölkt verlang' ich anzuſchauen
Dich ſelbſt, aus Lieb zu dir, aus Hoffnung und Vertrauen.
Weg ! Aller Zwiſchen-Satz ! Gib, das ich mein Geſicht
Leibhafftiglich verſenk' in deiner Gottheit Licht.
Ach ! Wann ? Wann werden doch herrennen jene Stunden,
Die bringen, das der lang-geſuchte Tag gefunden?
An dem der ſchœnſte GOtt, der Seelen beſte Zierd,
Gleichwie er ſelbſten iſt, ſich ſehen laſſen wird.

* *
*

Pande igitur facilem, Deus, ad ſuſpiria vultum;
Cujus adorandi me pia cura tenet.
Attamen haud illô jam te ſpeculabor in ore,
Quô mihi ſpectandum te, Deus, ore dabas.
Scilicet è rima tenebroſæ nubis, in Umbra
Exhibuiſti oculos, condite Phœbe, tuos.

Ut

Ut Deus, Antiqui, velatô Abſconditus ore,
De Te Faſtorum quod cecinêre Libri.
Tolle procul velum, ſpeculorum nubila tolle;
Non eſt, in ſpeculo cur videaris, Amor.
Non; Cur exhibeas immenſum lumen in Umbra;
Nulla etenim Luci convenit Umbra tuæ.
Ah! ſatìs obſcura fidei ſub nocte micabas;
Jam remove tenebras: Exere, Phœbe, diem.
Te ſinè nube dehinc fixis contempler ocellis;
De facie, ad faciem me tibi, parce, loqui.
Immediatus ego coràm deſidero ſiſti;
O! Splendor totum me Deitatis habe.
Nil intermediet noſtris obtutibus. Eja!
Lumine te videam liberiore, Deus!
Da mihi divinam jucundæ lucis abyſſum
Cernere; da purô. Cynthie, ſole frui.
Da ſinè nocte diem, ſinè da velamine lucem:
Te ſinè obumbratu, da mihi, noſter Amor.
Cerne tuam Clytien calidis tabeſcere votis,
Noctes, atque dies emoritura gemit.
Plangit amore tuæ, Lux ô nitidiſſima, lucis:
Ah! Quando, ut clarè conſpiciaris, ades?
Quando erit illa dies, quæ lucida diſſipet umbras
Luminis oppoſitu? Quando erit illa dies?
Quando erit illa dies, oculis obſtacula nubis
Ut videant, abigens? Quando erit illa dies?
Quando erit illa dies, longè illuſtriſſima, vivæ
Donatrix Lucis? Quando erit illa dies?
Illa dies, ſeptem magìs irradiata diebus,
A ſeptemgeminis ſolibus, Illa dies?

Quan-

Quando erit illa dies? Quâ nempe *videberis*, *in Te*
*Sicut es ipſe*, *Deus*? Quando erit illa dies?
Illa dies, ah! quando? Ah! quando erit illa dies? Ah!
Quando erit? Ah! Quando? Quando erit illa dies?

Cùm interim
VANITAS VANITATUM,
& Omnia
VANITAS; (a)
Præter amare
DEUM; (b)
ApVD qVeM
sIne aLterabILIs VICIſsItVDInIs
obVMbratIone, (c)
FeLICIter Conſtans, & eſſentIaLIs
ÆTERNITAS: (d)
CVI soLI DebetVr, & VnI
totVs AMOR, (e)
Honor, GLorIa; (f)
&
DIVInæ sVæ MajeſtatIs
nVLLVs VbIqVe

# FINIS.

Chronographicon quadrigeminè mixtum.

(a) Eccleſ. 1. 2. (b) Th. Kemp. de imit. c. 1. (c) Jacob. 1. 17. (d) Theolog. (e) Bern. de Amo. Dei. c. 5. (f) 1. Timoth. 1. 17.

(o)

# MENDA, LECTOR, EMENDA.

Paginis 10. & 11. virgulæ, v. g. - - crebrò geminatim peſitæ, ſunt ſignum Syllabæ longe ut, ——

Pag. 10. Anacreont. ⏓ = | ⏑ – | ⏑ – | ⏒

Ibid. Hipponact. ⏓ = | ⏑ – | ⏓ ¦ – ⏑ | – ⏑ | – ⏒

Pag. 11. Phaleuci. – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – ⏒.

Pag. 18 vers. 12. lege, fundet
Pag. 21. v. 8. l. Perenne
Pag. 32. v. 27. l eruere arcis;
Pag. 48. v. 9. l. Perflatus
Pag. 71. v. 16. l. Fama
Pag. 86. v. 13. l. momentô
Pag. 91. v. 15. l. repræſentant.
Ibid. v. 21 l. Spiegel
Pag. 182. v. 13. l. ſapore
Pag 218. v. 14. l. Inhabitator
Pag 219. v. 14 l. ſordet
Pag. 220. Verſum 12. ſic lege:
Farrago ſplendet! Suprà, habitabiles
Pag. 239. v. 1. l. Detrectare

Literulas *malè* transpoſitas, *Bone*, corrige, *Lector*,
Sic poteris Reliquum tollere Sphalma Typi.